


SEXTI

SENTENTIARUM

RECENSIONES

LATINAM GRAECAM SYRIACAS

CONIUNCTIM EXHIBUIT

Johann
IOANNES GILDEMEISTER
PROFESSOR BONNENSIS

BONNAE AD RHENUM
APUD ADOLPHUM MARCUM
MDCCCLXXIII

Prolegomena.

Sexti sententiarum, quales a Rufino Latinae consuetudini traditae sunt, in libris typis impressis duplex forma est, altera, quae fere sola hodie legi solet, per editiones communes Mullachii a. 1860, Lasteyrii a. 1843, Orellii a. 1819, Galei a. 1671. 1688 alias propagata, altera in antiquioribus ineunte saeculo sexto decimo in lucem emissis exhibita. Utriusque discrimen hoc est, ut haec illa ditior sit undecim fere sententiis, illa, quam brevitatis causa textum vulgarem appellari licet, huius verba saepissime ita variet, ut Latini sermonis usui magis respondeant aut orationis quaedam asperitas mitigetur. Ita ubicunque in hac *philosophus* est, in illa legitur *sapiens* vel *sapientiae amator*. Rem illustrabunt exempla haec e pluribus delecta:

Edd. veteres		Textus vulgaris	
15. 19. 20.	*saeculum*	12. 16. 17	*mundus*
204—7	*passio*	194—7	*affectus malus*
210	*provisor*	201	*curator*
183	*vindicans homines*	173	*vindictam exercens*
86	*amicitia ad deum*	78	*amor dei*
16	*non reprehensibilis*	13	*inculpatus*
117	al. *quia* (post verba dicendi)	109	*quod*
85	*male facere*	76	*nocere*
334	*sufficientiam servare stude*	322	*stude tua sorte contentus esse*
280	*non tibi indulgeas diffundi*	271	*ne tantum tibi indulgeas ut risu diffluas*
426	*Anima sapientis probabilis apud deum est sed et mens*	404	*Anima sapientis ac mens deo probatur*

Hanc esse mutationem arbitrariam et certo consilio factam in aprico est. Nec melior fides recentioribus libris est, si sententias omittunt, quas veteres exhibent. Deest in illis sententia 36 de libero arbitrio dicta, quam, si ullam habuit, Rufinum habuisse diserto aequalium eius Pelagii et Augustini testimonio certissimum est, unde satis admirari non possumus eius, qui novissimus de Sexto scripsit (M. Ott *Sprüche des Philos. Sextius. Rottweil* III *1863 p. 4*), ingenium criticum, quo eam, quia in editione Rhenani (in qua legitur) desit, spuriam et libello postmodum insertam iudicat. Reliquae, quae desunt, 5, 82, 230 ex parte, 276, 306, 329, 365, 368, 401, 451 omnes praeter 230 a Syris suo loco redditae sunt, unde patet eas non a Latinis postea additas, sed ad Rufinum referendas esse. Omissionis causa fuit tum argumentum, quod offenderet, ut in s. 36, 230, tum verborum obscuritas, ut in s. 276, 329, 401, tum similitudo cum aliis, ut sententiae 5 cum 4, 82 cum 80, 451 cum 401 et 407, in reliquis 306 365 368 neglegentia et casus. Eis quoque locis, quibus maior inter utramque formam discrepantia est, ex. gr.

85 *Impius autem est qui blasphemat, hoc enim solum quod potuit fecit*	77 *Impius in deum maledicus et infestus et contumeliosus est*
296 *Nihil bonum quod non potest esse commune*	286 *Iusta communio servanda.*

Syri omnino cum veteribus editionibus faciunt. Tandem cum ne unus quidem liber manu scriptus, qui recentiorum librorum formam contineat, monstrari possit, ei omnem in re critica auctoritatem denegandam esse facile apparebit, eaque commemoranda, duobus tribusve locis exceptis, prorsus abstinebo.

At inquirendum est, quinam huius formae auctor sit censendus. Orellius, Lasteyrius, Mullachius pendent a Galeo; is sua se ex Bibliothecis Patrum transscripsisse profitetur, quae omnes primam a Margarino de la Bigne Par. 1575 editam ad litteram sequuntur, Parisienses annorum 1589. 1609. 1624. 1644. 1654, Coloniensis anni 1618, Lugdunensis anni 1677. Bigneus unica Hillessemii editione usus est; nam ex eius praefatione verba nonnulla praemisit, nec ab ea nisi additis ad marginem singularum sententiarum numeris differt, quin menda sedulo propagat. Exempla haec habe. In sent. 17 (14) pro *praeter* Hillessemius habet *praefer*, quod explicat: *libertas* ...

est omnibus anteferenda. Repetiit Bigne; emendavit in altera sua demum editione Gale. In s. 100 (92) pro *bonorum* operarum mendo cum in commentario habeat: *referendum hoc est ad animi bona*, legitur *donorum* et ita apud Bigneum et Galeum. 360 (347) pro *audeas* perperam scriptum est *audias*, quod Bigne imitatus est, Gale autem emendavit. Nova autem apud Bigneum menda accesserunt; ex. gr. quod bene praebuit ille 121 (113): *quae si contemnes recte*, Bigne dedit: *quae si recte contemnes;* quod recte habuit 229 (220) *sapientem* Bigne mutavit in *sapientiam*, in quibus eum secuti sunt Gale et Orellius. Orellius tandem, ut hoc quasi praeteriens indicem, vitia ita propagata novis auxit: de suo ex. gr. 152 (144) *iacere* scripsit pro *iactare*, 187 (177) *tum cum* pro *tu cum*, 398 (382) *cognoscis* pro *agnoscis.*

De hoc libro igitur accuratius dicendum est. Indicem habet hunc:

SENTENTI|AE SIXTI AVT XISTI, | QVAE VERAE | SAPIENTI-|tiae (*sic*) praeceptis refertae sunt, & ad coe|lestem disciplinam ani-|mas informant. | Ludouici Hillessemij An-|dernaci docta explana-|tione illustratae.

COLONIAE apud Maternum Cholinum. MDLXXIIII.

Continet formae octonariae paginas 117 et folium unum, at primus numerus isque 9 collocatus est in plagulae A folio 7^v. Singulas sententias sequitur commentarius minoribus litteris exscriptus.

Unde autem sua sumpserit Hillessemius ad liquidum perducere non possum. Ipse de ea re nihil docet: omnia quae in praefatione Andernaci 1574 ad Gregorium XIII pontificem maximum data de libro ait haec sunt: *Sixti aut Xisti, quicunque vir ille excellens fuit, Sententias emisimus ad animos dei timore imbuendos. ... Quis vero harum sententiarum autor sit incertum. ... Utcunque sit, religiose ac prudenter nec ab uno scriptas esse constat.* Ipsum verba mutasse omnino verisimile non est. Explanatio illa, quae bono parocho docta videbatur, perquam indocta est, cum nihil agat, nisi ut morale sententiarum argumentum plurium verborum circuitu exponat, nec ubique scriptoris verba recte intellegat. *Abjectionem* (*ἀποβολήν*, iacturam) 257 (247) putat esse *defectum excellentiae et dignitatis; ambitionem*, quae 432 (409) de verborum circuitu et anfractibus dicta est, de *benefactis efferendis* intellegit. Eum

a prioribus editionibus pendere inde elucet, quod in tergo folii indicem continentis Abstemii versus mox commemorandi leguntur. Iam autem multae eius lectiones concordant cum editionis Monasteriensis anni 1518 vel fortasse Coloniensis mendis, quae typographo deberi apparet, quia haec expressa est ex editione Beati Rhenani. Affero haec: 22 (19) *deo* (pro *de deo*), 100 (92) *donorum*, (pro *bonorum*) 123 (115) *lux* (pro *lex*), 127 (119) *dispositionem* (pro *depositionem*), 246 (237) *obtemperaverit* (pro *obtemperat*), 326 (315) *mors* ... *facit* (pro *mores* ... *faciunt*), 378 (362) *accipies* (pro *accipis*), 450 (427) *sapiens* (pro *sapientis*); desunt 195 (185) *auditorum*, 433 (410) *electum*, quae vocabula in editione Monasteriensi supra extremum versum, ut in veteribus libris mos est, ponere neglectum fuit. Itaque ad hanc editionem proxime accedit textus ille vulgaris, et hoc saltem ex pravis lectionibus, qualis in s. 428 est *Venerem*, quod mendum operarum pro *Ventrem* editioni Beati Rhenani Basil. 1516 peculiare et tum per reliquas ab illa pendentes propagatum est, certissimum fit, eum ex harum aliqua editionum esse transformatum. Inter annum 1522, ad quem usque omnes libri veterem tantum verborum conformationem praebent, et 1574, quo Hillessemius scripsit, duae modo et a solo quidem Fontanino *Hist. litterar. Aquilei. Rom. 1742. 4. p. 314* commemorantur, altera Parisiensis anni 1541, quam cum nusquam alibi indicatam invenerim, addubitarem, nisi Fontaninus ubique se cautum et circumspectum scriptorem exhiberet, alteram ita descriptam: 'Venetiis *ad signum Spei* 1552 in 12. sine prologo fol. 122 post indicem libelli sic inscripti: *Dicta pretiosa sive loci communes ex omnibus fere doctoribus, qui in sacris litteris scripserunt, per Defensorem Theologum vetustissimum excerpti.*' Fefellerunt conatus de his libris aliquid comperiendi; videat igitur alius, cui forte patebunt, an ex altero utro et fortasse e Veneto hauserit Hillessemius, qui et ipse prologum prorsus ignorasse videtur. Quod si secus sit, de editione adhuc ignota cogitandum est. Unum addo: cum in sent. 228 verba sat innocenter e mente Pythagoreorum dicta *horum nisi et possessio communis sit* mutationem subierint (substitutum est *hi nisi auxilia et opem in commune conferunt*), quaeri potest, num forte indicentur tempora, quibus propter doctrinam de bonorum communione instituenda turbae motae fuerint.

Altera sententiarum forma in tribus tradita est editionibus, quas in tribus diversis codicibus niti apparet.

Prima fuit Abstemii, diu prorsus incognita, cum neque scriptores, qui data opera de veteribus libris et editionibus egerunt, eam unquam commemoraverint nedum descripserint, neque qui de Abstemii vita egerunt, ne Mazzuchellius quidem, eius mentionem fecerint. Exemplaris in bibliotheca Vindobonensi servati notitiam debeo V. Cl. Iosepho Hauptio. Constat foliis octo in forma quartanaria, quae paginarum numeris carent. Prima pagina vacua est; in tergo folii primi legitur dedicatio infra ex parte exhibenda, cui in fine additum est: *Fani Idibus Maiis MDII.* Sequitur locus et ipse mox repetendus: *Hieronymus contra Iovinianum. Pulchre in Syxti Pythagorici libri sententiolis — non Syxti romani christiani.* In folii octavi, cuius tergum vacuum est, fronte versus septem hexametri inveniuntur: *Laurentii Abstemii carmen ad lectorem: Astrigeras quicunque cupit conscendere sedes* etc. Ubi et a quo libellus formis expressus sit non indicatur, sed ex ipsa dedicatione patet, eum Fani ab Hieronymo Soncino a. 1502 editum esse. Aliud exemplar, fortasse Parisiense, adhibuit Lasteyrius; tertium indicatum invenio in catalogo bibliothecae Turicensis.

Hanc editionem repetiit Symphorianus Champerius, medicus Gallus, ex eorum numero quos scarlatina indutos imaginamur, in libro cui index est:

Domini Simphoriani | champerij lugduneñ. | Liber d' quadruplici vita. | Theologia Asclepij her|metis trismegisti discipu-li cum cōmētarijs eiufdē | domini Simphoriani. | Sixti philosophi pythagorici Enchiridion. | Isocratis ad Demonicum oratio preceptiva *cet.*

In fine: Impressum est presens opus Lugduni expensis honestissimorum | bibliopolarum Stephani gueynardi et Iacobi huguetāni: arte vero | et industria Jannot de campis: Anno domini MCCCCC. vij | Finitum pridie kal' Augusti. *Forma est quartan.* a (*folior. 6*) b—k (*folior. 8*) l (*folior. 6*) A—G (*folior. 8*).

Nullo verbo unde Sextum sumpserit indicat editor, impudenter autem dedicationem Abstemii in suum usum convertit, id quod comparatione instituta patebit.

Abstemius.

Reverendo in Christo patri et domino Paulo episcopo Forosempronii.

Lectitanti mihi nuper quendam aureum Syxti philosophi pythagorici libellum brevibus quidem, verum gravissimis creberrimisque refertum sententiis, subiit admiratio hunc a nemine hactenus, quod sciam, impressum, cum cottidie multi impressores perituras chartas nugis impleant .....
Motus tamen communi utilitate et harum rerum admiratione, Hieronymo Soncino, qui hic libros imprimit

persuasi ut ceteris omissis hunc cuderet, quem si non vulgo, at viris saltem doctis et virtutum amicis gratum fore confido.

Champerius.

Dño Philiberto naturelli, tum traiecteñ. ecclesie preposito tum athaneteñ abbati commendatario.

.... Nam cum inter legendum quidem Sixti philosophi pythagorici brevibus certe verum gravissimis creberrimisque refertus sententiis occurreret libellus, subiit admiratio hanc a nemine gallorum hactenus (quod sciam) impressum cum quotidie multi impressores perituras nugis impleant chartas ....
Communi tamen motas utilitate et harum rerum admonitione, honestis viris Stephano geynardo et Iacobo huguetanno bibliopolis

persuasi ut hunc imprimi curarent, quem si non vulgo, at viris saltem doctis et virtutum amicis gratum fore confido.

Dedicatio data est *1507 ad nonas Iulii.* Sequitur tum prologus, quem Abstemius habet, sed e suo hausit codice, cum idem etiam legatur in codice Florentino chartaceo XV saeculi, a Bandinio in *Cat. mss. lat. bibl. Laurentianae V, 575* descripto. Etiam hunc e Champerii editione, additis huius codicis lectionibus, ne quid desideretur, repeto:

Hieron. contr. Iov. [om. cod.] *Pulchre in Sixti* [*Sixtii*] *pythagorici libri sententiolis dicitur: Adulter* [*adultus*] *est uxoris amator ardentior. Quem librum quidam in linguam transferens latinam* [*lat. transf.*] *martyris Sixti* [*Sistii*] *nomine voluit illustrare: non considerans in toto volumine, quod in duas partes divisit, Christi nomen et apostolorum omnino reticeri. Nec mirum si gentilem philosophum ut Romanae* [pro his duobus vocabulis: *in martyrem et XX* (sic)] *urbis episcopum transtulerit, cum Eusebius Caesariensis primum pro origene librum*

Pamphili martyris vocabulo communiverit [*commutaverit*], *ut facilius tali laudatori libros* .... [lacuna; cod. *Periarchon*] *de principiis romanis conciliaret auribus. Item Augustinus secdo retractationum cap. xlij* [*xlvij*]*: librum quo pelagio respondi defendens gratiam non contra naturam, sed per quam natura liberatur et regitur, de natura et gratia nuncupavi: in quo verba quaedam* [*quae*] *velut Sixti* [*Sistii*] *Romani episcopi et martyris Pelagius posuit: ita defendi tanquam revera Sixti* [*eiusdem Sistii*] *essent. Id enim putaveram sed postea legi, Sixti* [*Sistii*] *philosophi esse, non Sixti* [*Sistii*] *Romani christiani.*

Discrepantias ex Abstemii editione suae addidit Lasteyrius, sed qua erat levitate nec plene nec accurate. E. gr., uti Hauptius de paucis quibusdam interrogatus me certiorem fecit, in sent. 11 (9) non, quod Lasteyrius diserte exscripsit, habet *huiuscemodi*, sed *huiusmodi*, 58 (51) non *age*, sed *agere*, 189 (179) non *fidelis esse quidem magis stude* sed *fid. esse quam videri magis stude*, 197 (186) non *dicere putato*, sed *te dicere putato*. Sed etiam Champerius non omnino accurate reddidit, quae apud Abstemium invenit; 28 (25) Abstemius male praebet *iudicium*, Champerius recte *indicium*, 36 ille *promisit*, hic *permisit*. Unde cum Abstemii lectiones neque ex Champerio, neque e Lasteyrio sumi liceret, Champerii librum, quo per Ill. Halmii, quae nunquam deficit, liberalitatem ipse uti potui, in locum editionis primae, quacum in longe plurimis conveniet, substituendum putavi eiusque lectiones littera **c** signavi. Ceterum silentio non est praetereundum, apud Champerium post sent. 165 intervallum esse et sent. 166 a novo versu et maiore littera incipi, quae distinctio libris manu scriptis non comprobata fortasse propter Hieronymi testimonium de libro Rufini in duas partes diviso, quod in prologo commemoratur, instituta est.

Secunda editio haec est:

Enchiridion Sixti Philosophi | Pythagorici. | PYTHAGORAE PHILOSOPHI | AVREA | VERBA SEV CARMINA. *In fine 8ʳ:* EXcuſumVuittenburgi in officina Ioannis | Grunenbergi apud Augustinianos | M. D. XIIII. | MEN: NOVEMBRI. *Foll. 8 in forma qu. Sign. A B sine numeris et quos dicunt custodibus.*

Deest Rufini prologus. Sententiae in tredecim capita divisae sunt, quae incipiunt a sent. 1 32 61 92 123 172 215

246 283 325 359 397 429. Post ultimam in fol. 7v additum est: *Finit enchiridion quod manuale quidā dicūt. Sixti philosophi pythagorici. Antea nunquam impressum.* Priorum igitur, id quod ipse textus confirmat, editionum ignarus fuit, qui hanc curavit. Quis autem ille fuerit, discimus e praefatione in tergo indicis exhibita, ex qua haec excerpenda sunt:

IOAN: Langus Erph. Aurelianus Ioanni | Sturno Sch. politioris literaturae adsertori | doctiss. amicoque singulari S. In manus nostras Sturne humaniss. libellus quidam nuper: nescio an forte fortuna: venit, quum doctiss. cuiusdam demortui hominis chartaceam supellectilem ωσ λυγκευσ collustrarem: libello quidem nomenclatio fuit indita Enchiridion Sixti martyris et epī: at vero non segniter ipsum perlegens varias simul et utiles in eo sententiolas offendi, quae christianae fere professioni non sunt absonae, quocirca non sunt ii prorsus εσ κορακας seu in malam crucem abigendi qui libellum christiano pontifici tribuerunt, quippe quum sit moralis omnino philosophicusque. Verum et divi Hieronymi et div. Aur. Augustini lectione hoc assequutus sum: ipsum illum libellum non esse Sixti martyris: imo vero potius Sixti philosophi pythagorici . . . . Eiusce opusculi interpretem Hieronymus super Ieremiam Grunnium quidem Ioviniani discipulum, sed ad Ctesiphontem Rufinum asseverat, quocirca in medio relinquitur . . . . Vuittenburgi ex aedib. Aurelianis MDXIIII. Die divo Leonhardo sacro.

Ad hanc editionem designandam littera **w** minore utar.

Tertia invenitur in libro:

AENEAE PLATONICI | Christiani de immortalitate | animae deque corporum rē|surrectione dialogus aū|reus qui Theophrā|stus inscribitur, | Ambrosio Camaldulensi in-|terprete. | ATHENAGORAS | Atheniensis de resurre-|ctione, Marsilio Fi-|cino interprete. | XYSTI PYTHAGORI|ci sententiae, Rufino in-|terprete. *In fin.* Basileae apud Ioannem | Frobenium mense | VIII bri. an. | MDXVI. *form. qu.* a—k (*folior. 4*) l (*folior. 6*)

cuius editorem se prodit Beatus Rhenanus in praefatione ad Paulum Volzium *sexto idus Septembr. an. 1516* data, ex qua haec Sextum spectant: *Adieci . . . et Xysti philosophi γνωμΐδια hoc est sententiolas ad antiquum exemplar quod apud divam Fidem Selestadii habetur, a me nuper recognitas,* Ante Xystum nova inserta est praefatio, in qua haec traduntur. *Divus Au-*

relius Augustinus secundo Retractationum libro capite xlij indicat aperte Xystum huius authorem libelli non Romanum illum episcopum et martyrem fuisse, sed philosophum quempiam, sic scribens: Librum quo .... esse non Christiani. Hactenus Augustinus. Caeterum qui libellum hunc e Graeco vertit, sive is Rufinus fuerit sive alius quispiam, quanquam phrasis ipsa plane Rufinum olere videtur, astipulantibus etiam vetustis exemplaribus, Syxti martyris titulo legi voluit, nimirum quo Christiani illum cupidius amplecterent. Sic Eusebius Caesariensis primum pro Origene librum Pamphylo martyri inscripsit ut commodius tam eximii patroni sanctimonia libri περὶ ἀρχῶν, hoc est de principiis, Romanis commendarentur. Nam olim antiqui si quando expedire videbatur a piis hoc genus mendaciolis non ita abhorrebant. Porro meminit etiam Xysti divus Hieronymus contra Iovinianum, sententiolam ex eo citans his verbis: Unde et Xystus in sententiis Adulter est inquit in suam uxorem amator ardentior. Hanc itaque Xysti γνωμολογίαν ad antiquum exemplar quod Selestadii in bibliotheca divae Fidis servatur in rem studiosorum proximo Septembri cursim recognovi. Basileae Calend. Oct. an. 1516.

Haud optima fide usus Rhenanus priorum editionum mentionem facit nullam; nihilominus tamen, cum post praefationem repetat *Laurentii Abstemii carmen ad lectorem. Astrigeras* cet., et prologum illum de patrum testimoniis spectet, aut Abstemii (quod malim, cum in loco Augustini *Syxti* cum hoc nec *Sixti* scribat) aut Champerii libro usus esse convincitur. Res non omnino levis est. Nam e verbo *recognoscendi,* quo utitur, colligi potest eum verba codicis Selestadiensis non ubique secutum esse, sed ex priore editione fortasse hic illic mutasse. At cum libri habitus ab Abstemiano satis diversus sit, nil obstat, quominus eius lectiones tanquam in universum codici respondentes in rem nostram convertamus. Signavi littera **r**.

Rhenani textus pluries repetitus est. Meis occupavi oculis editionem hucusque incognitam hanc, e bibliotheca Berolinensi mihi ab Ill. Pertzio missam:

XISTI PHILOSOPHI | Pythagorici Enchiri=dion. Dignum her=|cule quod | nunq̄; deponatur e ma=|nib⁹ | Laurentii Abstemij car-|men ad lectorem. | (*Sequuntur versus septem.*) *In fin.* Impressum Monasterii apud Theodoricum | Tzwyuel Mense

Septembri Anno 1518. *Foll. 9 in forma 4, sine numeris et custodibus.* 𝔄 (*folior. 6*) 𝔅 (*foll. 4*).

quam e Rhenani libro derivatam esse non solum verborum habitus demonstrat, sed etiam tergum primi folii, in quo post praemissa *Beatus Rhenanus candido lectori S. D.* praefatio Rhenani legitur, quam excipit Rufini prologus. Multa irrepserunt menda, de quorum parte iam p. vi dixi.

At cum eodem titulo

Xysti phil. Pythagorici Enchiridion dignum hercule quod nunquam deponatur e manibus. *In fin.* Impr. Coloniae ap. Henr. Novesium mense Iul. a. 1518. 4.

insignita exstet editio eaque certa, quam Panzer *Ann. XI, 398* se possidere testatus est, potius ex hac quam ex ipsa Basiliensi Monasteriensis expressa videtur.

Prorsus similis esse videtur editio, cuius notitiam ex exemplo Bodleiano debeo Cl. E. Sachavio.

Xysti | philosophi py-|thagorici en-|chiridion di-|gnum hercule quod nunquam de|ponatur e ma-|nibus. *In fine:* Impressum Coloniae apud Conradum Caesarem. | Mense Septembri Anno M. D. XXII.

Forma est quartanaria. In Rhenani prooemio omissus est anni numerus 1516.

Tertia eiusdem anni editio invenitur in opusculorum sylloge, cuius index est:

Haec nunc damus lector, pàrtim locupletiora, castigatioraque, partim noua. Disticha moralia, titulo Catonis *cet. In fin.* Louanii in aedibus Theodorici Martini Alostensis. Mense Nouembri AN. M.D.XVIII. *4. foll. 74.*

Librum descripserunt M. J. de Gand *Recherches sur la vie et les éditions de Thierry Martens. Alost. 1845. 8.* p. 125. n. 109. et A. F. van Iseghem *Biographie de Thierry Martens. Malines. 1852. 8.* p. 288. n. 130. Insunt Catonis disticha, apophthegmata Graeciae sapientum, mimi Publiani, Erasmi institutum hominis Christiani, Isocratis paraenesis ad Demonicum, denuo cum Graecis collata per Erasmum, Eucherii ad Valerianum epistola, recognita ab Erasmo, fol. 61ᵛ—73ᵛ 'Enchiridium Xysti philosophi Pythagorici' 1). In prooemio typo-

1) Liber Lovaniensis denuo descriptus est *Parisiis sub prelo Ascensiano 1533. 8,* sed sine Xysto, si iudicare licet ex Maittairio II 792.

graphi leguntur: *Sunt horum aliquot antehac et ab aliis et a nobis* (a. 1515 ediderat *Opuscula aliquot Erasmo Roterodamo castigatore et Interpraete* quae continent *Catonem, Mimos, Septem Sapientes, Institutum christiani hominis, Isocratem Rodolpho Agricola interpraete, castigatore Martino Dorpio.* 4 foll. 52. cf. de Gand p. 96, van Iseghem p. 254) *aedita, fateor, sed ea nunc denuo a me ita tractata, ut noua videri possint.* Libri rarissimi duo tantum cognita sunt exempla, alterum quod Oxoniae est idque mutilum, commemoratum in solo Hydii *Catal. impress. libror. Bibl. Bodl. Ox.* 1674. f. II p. 166 (ex quo sua hausisse videntur Cavius *Script. Eccles. Hist. litt.* 1688. f. p. 239, Assemanius *Bibl. Or. Cl. Vat.* III, 1, 48 et Fontaninus *Hist. litt. Aquileiens.* 1742. 4. p. 313) neque in recentissima catalogi editione indicatum, alterum in bibliotheca universitatis Gandaviensis exstans, de quo accuratiora mihi per litteras humanissimas tradidit Cl. A. Wagener, professor Gandaviensis. Sententiae prorsus conveniunt cum Rhenani editione, cuius praefatio exhibetur in fol. 60^{v}; Rufini prologus occupat fol. 61^{r}. Omissum est Abstemii carmen.

Post duos annos Theodorici sylloge denuo sed mutato titulo lucem vidit:

IOAN. FROBENIVS, STVDIO-|SAE IVVENTVTI S. | Accipite nūc opuscula quaedā moralia adulescentes studiosi | partim locupletiora castigatio-|raq; partim noua quorū uo-|bis catalogum sequens | exhibebit pagella. | Valete. | Basileae per Ioannem Frobenium men-|se Octobri. AN. M.D.XX. *pagg.* 171 *formae qu.*

Xysti Enchiridion cum Rhenani praefatione Cal. Oct. 1516 data invenitur p. 143 (male legitur 139)—170. P. 171 *Typographus candido lectori* inter alia haec significat: *Porro sunt horum moralium opusculorum aliquot antehac et ab aliis et a nobis aedita, fateor, sed ea nunc denuo a me ita tractata ut nova videri possint, praesertim cum scholiis nonnihil per Erasmum accesserit et Eucherii epistola adhuc paucis sit lecta.* Ipsa igitur Theodorici verba usurpat Frobenius; bellum inter eos erat, cum fures alter alterius editiones haud semel pro illius temporis more iterarent.

Hanc sine dubio Orellius voluit, si in annotatione de *Erasmi editione* loquitur. Revera quam ad sent. 56 (49) affert lectionem *sunt* in Basiliensi exstat, non apud Rhenanum, qui *sint*

praebet. Quod 34 (31) habet *vige* pro *vive*, mendum est. Erasmo in edendo Sexto nullae partes erant, sed ut ex dictis patet editio Theodorico et Frobenio debetur [1]).

Tandem Rhenani editionem repetiit (S. Sixti philosophi pontificis R. et martyris enchiridion *cet.* Lps. 1725. 4. *foll.* 4 *pp.* 375. *foll.* 8) Urb. Godofr. Siberus, sed ea in re neglegentia fere incredibili versatus. E grandi vitiorum numero quaedam afferam, ut appareat ei confidi non posse. In s. 28 praebet *non invenies*, Rhen. *nec invenies*, et *de deo*, Rh. *deo*; 30 *divina sapientia*, Rhen. *deus sapiens*; 33 *est*, Rh. *fit*, et *is qui*, Rh. *qui*; 35 *deo*, Rh. *dei*; 39 *discesserint*, Rh. *excesserint*; 40 *euntem*, Rh. *pergentem*; 44 *scire deum*; Rh. *deo scire eum*; 47 *est*, Rh. *et*; 107 *peccantibus*, Rh. *peccatoribus*; 111 *feceris*, Rh. *acceperis*; 128 *possidebis*, Rh. *obtinebis*. Crebro vocabula omisit, ex. gr. 106 *dilige*, 138 *nascitur*, 167 *animam*, 181 *a peccato*, 413 *et corpus simplicibus cibis*.

De **libris manu scriptis** nemo hucusque laboravit. Numerus eorum haud exiguus est; in rem meam potui convertere quatuordecim, de quibus iam dicendum est.

Agmen ducit celebris ille qui dicitur Salmasianus codex, in bibliotheca Parisiensi (10318, olim suppl. lat. 685) asservatus, mihi **A** appellatus, de quo accuratius egit Alex. Riese in prooemio Anthologiae Latinae Lps. 1869 I, 1, p. XIX. In hoc enim etiam *Syxti episcopi et filosofi* sententiae inveniuntur p. 212—18. 205 [2]). Semel eo ad vulgarem Sexti lectionem emendandam

1) Haec errorum, qui de editionibus propagati sunt, corrigendorum occasio est. Panzer *Annal.* VII 223. 388 et qui eum ni fallor sequitur, Hoffmannus *Bibliograph. Lex.* I 22 exhibito pleno titulo factas esse volunt editiones Aeneae, Athenagorae et Xysti Basil. 1520 et Colon. 1522, Panzer VII 263 eorundem trium Lovan. 1518. Panzer provocat ad Schoenemanni *Bibl. patr. Latin.* I 630 et Fabricii *Bibl. Gr. ed. Harles* I 872. Hi autem auctore usi sunt solo Fontanino *Hist. litt. Aquileiens. Rom. 1742. 4* p. 313, qui non de tribus illis quasi ex Rhenani editione repetitis loquitur, sed recte unius Sexti editiones easdem, quas supra recensui, spectat. Panzero freti, Aeneae, sed solius, editionem Lovaniensem anni 1518 male statuerunt de Gand l. l. p. 129 et van Iseghem p. 293.

2) Haud recte Riesius Sextum etiam per pag. 206. 219—228 continuari ait. Nam in extrema p. 205 post sententiam 451 legitur *Amen. Explicit.* et paginae illae aliam sententiarum collectionem continent, in

iam usus est doctissimus Boissonade in Anecdotis Gr. I p. 125; mihi vix rogatus Cl. Zotenbergius, haud primum de rebus meis meritus, accuratissime eius lectiones excerpsit. Codex VII vel VIII saeculi est; scripturae imaginem praebet Riesius. Ex illorum saeculorum more vocabula non ubivis distinguit eaque utitur scribendarum litterarum ratione parum accurata, quae illo et proximis saeculis vulgaris fuit. Singula hic complector. Permutantur inter se *e* et *i*: *nimini* 23, *similis* 36, *egit* 50, *perdedisse* 54, *dilitiis* 71, *inexplibilis* 146, *illi* 381; *gaudit* 415. 422 (bis *gaudet*), *subiacit* 436, *acciperis* 449; *multitudine placere* 112, *dediceris* 353, *defert* (*differt*) 380, *credederit* 380, *facet* 436. *E* et *o*: *intolorabilis* 150. *O* et *u*: *popillos* 340, *corpos* 347, *potat* 380, *operarios* 384, *costodi* 449; *resulutione* 281; *C* et *t*: *incitacio* 45, *iactanciae* 188; *mendatium* 159. *C* et *g*: *neclegentis* 280. *H*, quae illo tempore fere sine regula ponitur et omittitur, semel tantum male scripta est: *honorhaberis* 41. *B* et *v* non distinguebantur: *mobetur* 26;

---

qua multa ex Senecae, qui vulgo fertur, libello de moribus, at non eodem ordine reperiuntur. Ut de re iudicetur, primas cuiusque paginae sententias, quas mihi Zotenbergius exscripsit, exhibeo. p. 205 extr. *Quae sunt maxime deuitie* p. 206 *Non desiderare diuitias* (Sen. 45) *Quis plurimum habet; Qui minimum cupit* (Sen. 46) — Sequuntur Sen. 57. 30. 58 (Numeri sunt Wölfflini recentissimi editoris) — *Et quam magna dementia est, concupiscere mortem quam timere.* — Tum Sen. 59. — *Quis est iucundissimus amicus .... Quis est fidelissimus ... Qui est certissimum aduersus fortunam.* Deinde Sen. 17. 6. 60. 61. — *Dignitas est non usum esse honoribus.*

p. 219 *Nichil satis est superuacua cupienti.* 220 *Cum populo ne contradixeris.* 220 extr. 221 *Peccator hodie crudelis est, cum cras miser esse non possis.* 222 *Honestius est qui senectutem ad otium rettulit, quam qui in otio inuenit* (Sen. 88). 222 extr. 223 *Multum est enim animus magnum et sumptuosum* (.) *numquam distinxeris que oportit ab eo que expedit. nihil enim que non oportit expedit.* 224 *Amorem nec ignotum esse oportit animo nec incitum nec legitima* .... 224 extr. 225 *Rebus gestis gloriam parat, officiis amicos, beneficiis clientes. uita famam laborem sapientiam. pecunia liberalitatem | silentium pudorem.* 225 extr. 226 *Longa etas est non diuiuere sed scire odiem* (?) *non pertinere quam diu uiuas* 226 extr. 227 *Liberales disciplinas cole non tamquam uirtutes sed tamquam instrumenta uirtutum.* 228 *Sic habita ut potius dn̄s laudetur quam domus* (Sen. 121). Ultima sententia est *Numquam enim bonitatis longa simulatio est. Explicit feliciter.* (Sen. 126).

amauit 141, *lateuit* 325, *siui* 348; omissa *m tabernaculum* pro *tam vernaculum* 168. *M* in fine vocabulorum non amplius audiebatur; male addita est: *depositum fidel*em 21, *anima*m *purificatur* 24, *omne*m *tempus* 54, *que*m (*quae*) 338, male omissa, ubi etiam lineolae superioris defectus in causa esse potest: *vita tua* 37, *gratia* 48, *anima* 402, *tale* 447; semel pro *o* legitur *um: sine un*um *membr*um 13. Pro *quod* invenitur *quae*, ac si decurtatum pronunciaverint pronominis exitum: *illud* quae *in te est* 35, *omne* quae *compellatur* 28, *indicium* quae *sentimus* 28, *nihil* quae *non licet* 29, *nihil* quae *inurat* 38, *quale* quae 93, quae *est* 448, quae exempla de Graecae constructionis imitatione cogitare prohibent. Semel 141 dubius esse potes utrum *quae* an *quod* voluerit, cum in Graecis ἃ sit; sed locus e reliquis iudicandus est. Etiam *qui* pro *quod* scribitur: qui *iustum est* 65, qui *vis* (nisi hic *quid* voluit) 88 (in sent. 106 utrumque ferri potest), et pro *quae*: *haec* qui 122. *S* in vocabulo ultima omissa est: *domino* pro *dominos* 75, *sapienti* pro *sapientis* 144, unde etiam *homini* 10, ubi dativus ferri potest, pro genetivo habendum erit. *T* in extrema voce iam Romanarum linguarum lege pronuntiari desiit; *honora* scribitur 381. 427, ubi *honorat* dicendum erat, et ubi *opta: optat* 88. Ubique *aput* invenitur scriptum neque in praepositionibus permittitur litterarum assimilatio: co*n*puta, a*d*quire, i*n*luminetur, i*n*pediat. Singulare est *participes* pro *particeps* 33. Scripturae compendia praeter lineolam, quae nasalem indicat, et *ds̄ dī dō dm̄* non reperiuntur. Quanti maioris propter vetustatem et integritatem codex aestimandus est, tanto magis dolendum est, eum non totum libellum sistere, sed epitomen et tertiam tantum sententiarum partem neque Rufini prologum continere. Sententias, quas praebet, a reliquis stellula distinximus.

Aetate proximus est Q cod. Paris. lat. 2676 (Catal. III p. 314, ubi variis variae aetatis partibus constare dicitur). Saeculi noni est, teste Wölfflino, qui eum ad edendum Publilium Syrum adhibuit, p. 16. 89. Forma quartanaria est; versus sunt 23. Litterae maiores sunt, sed inaequabiles, compendia rariora. Sexti sententiae leguntur fol. 123—126, sed ultra 84 non pertinent. Rubricae sunt: *Incipit prologus de uita hominis perfecta in sententia Xysti episcopi. Explicit prologus feliciter. Incipiunt sententi|ae Sexti quem Xistū | Romani dicunt episcopi ur|bis Romae et martyris de Gre|co in Latinum translate.* In fine

legitur: *finis huiʼ et initiū seq̄ de est libri.* Sequuntur SENTENTIAE SENECAE PHYLOSOPHI, ordine litterarum digestae.

Decimo saeculo, etiam e sententia Cl. Reifferscheid in his rebus peritissimi e diagraphe a me parata iudicantis, addicendus est **W**, codex Wirceburgensis, in manuscriptorum pergamenorum theologicorum catalogum fol. 33 relatus (*Mp. th. f. 33*), olim in aede cathedrali, in quam a monachis Scotis invectus fuerat, numero 79 insignitus, quem mihi a Lagardio indicatum Wirceburgi V. R. A. Rulando, bibliothecae academicae praefecto, benevole favente in usum meum descripsi. Constat foliis 58 formae maioris; insunt praeter Sextum ab alia manu, sed eodem fere tempore, nisi paulo priore, scripta varia, imprimis Isidori Synonymorum libri duo, sed non continui, et Cypriani nonnulla (epist. 67 et 4 Hartel = 68. 62 Baluz., pars epist. 6 Hart. = 81 Baluz.; de sexagesima et tricesima; passio Cypriani). Sextum continent foll. 2—12, quae in singulis paginis viginti versus habent. Litterae perelegantes ex earum genere sunt, quas minusculas Karolingicas vocant eaeque satis excultae. Verba non omnino disiuncta sunt; coniunguntur imprimis breviores voces cum aliis: *inuita, quinihil, quaedīsunt, potestate* (potest a te), *inm&tuest* (in metu est). Originis ex antiquiore libro, in quo vocabula separata non erant et litterae bis exhibendae semel scribebantur, vestigia sunt 17 *omni auferenti* (omnia), 94 *necogites* (nec cogites), 358 *qui acceptum* (quia). Accurate interpungitur: punctum superum sententiarum finem indicat, medium inter litteras positum sententiae membra, rhetorica potius, ut veteribus mos erat, quam logica, distinguit; initium sententiarum maioribus litteris significatur. Scripturae compendia pauca illoque aevo usitatiora sunt: *ds, dns, scs;* lineola litterae *m* vices obtinens vix nisi spatio deficiente adhibetur; raro legitur *n̄*, semel aut bis compendia praepositionum *pro* et *per* inveniuntur; litteris *et* ubique '&' substituit. Calami lapsus praeter eos, qui cum non hic tantum inveniantur infra exhibebuntur, haud multi sunt: 23 m*emini*, 75 *domin*us(o), 304 *bon*us(o), 131 *potato*(u), 322 *extradat* (u), 423 *inseperabilis,* 107 *paruo* (prauo), 396 *male*didi*citur*, 272 *suavi* (suavia), 295 *tra*der*is* (tradideris), 282 *cast*r*orum* (castorum), 381 *quicquic,* 380 *ninil.* Raro ab eadem vel fortasse alia manu aliquid emendatum est: 51. 119. 139. 156.

Falso interpungitur 66. 178. In litterarum ambiguarum usu satis constans est codex; praeter consuetudinem leguntur: 71 *diliciis*, 273 *abscedere*, 280 *negligentis*, 135 *praetiosa*, 117 *delitiis*, 361 *partius*, 298 *pacienter*, 403 *repperies*, 162 *oportunus* (279 *opp.*).

Undecimi saeculi sunt **O** et **P** Parisini, quorum ille aliquanto antiquior est. Numerum gerit 113 inter Latinos (Catal. III p. 110); olim fuit Dianae Pictaviensis; paginae magnitudinem folii minoris aequant et versus 36 continent. Librum Ecclesiastici, qui ||dccc versuum esse dicitur, Sextus excipit fol. 61ᵛ—65ᵛ. Rubricae sunt: *Incipit praefatio Rufini p̄rbi. Incipit enchridion* (sic) *beati Xysti ep̄i et martyris.* Ad marginem paginarum leguntur inscriptiones: *Libellus Xysti mar.*; *Xysti mar.*; *Enchiridion Xysti epi.*; *Anulus Xysti mar.*; *Enchiridion Xysti mar.* Desinit in fine paginae in voce 443 *Amicum;* recens manus addidit: *hic multa desunt.* Sequuntur a primo librario scriptae variae sententiae Christianae et voces ex oratione de monte habita et epistolis Paulinis excerptae. Scriptura bona et aequabilis est neque nimis compendiis referta.

P cod. lat. 3784 (Cat. III 464), eadem forma sed binis columnis, quae versus 35 continent, non satis accurate et per multa compendia eaque vulgaria scriptus, Sextum foll. 47—50ᵛ comprehendit. Rubricae sunt: *Rufinus Prb Minisio. Explicit praefatio. Incipit Enchiridion Beati xrsti* (super *xr* scriptum est *Six*) *epi & martiris.* Sextum excipit Hieronymi ad Fabiolam epistula.

Eiusdem saeculi XI est **V** codex bibl. Palat. Vindobonensis 575 in *Tabulis codd. mss. in bibl. Vind. asservatorum* quas Ios. Hauptius confecit *I p. 99* descriptus. Rubricae: *Incipitur prefacio Rufini presbiteri. Explicuit prefatio. Incipitur enchiridion Beati sixti episcopi et martyris. Explicit enchiridion beati sixti episcopi et martiris.* Desunt sent. 206—238, cum iam antiquitus inter folia hodie signata 50 et 51 folium evulsum sit.

Codicum **QOP** collationem Cl. Guil. Cartio, Vindobonensis Cl. Iosepho Hauptio gratus debeo. Ipsi mihi per liberalitatem Cl. Guil. Vischeri, bibliothecae Basiliensis praefecti, licuit conferre

B, cod. Basiliensem *B X 35* membranaceum formae octonariae. Constat partibus pluribus vario tempore scriptis et

postea in unum compactis. Insunt Thetmarus de locis sanctis, Tractatus de sphaera naturali, Liber de accentibus. Quarta pars reliquis antiquior et si recte iudico ante medium saeculum XIII scripta continet Librum de conflictu vitiorum atque virtutum, inter opera Augustini et Isidori editum, Sexti sententias, Sententiam de libro b. Isidori (est lacinia libri Synonymorum a verbis *Deus tibi ueniam tribuat* VII 494 Arev. usque ad finem libri primi) et ab alia manu Hieronymi ad Eustachium epistulam. Tandem adiectus est fasciculus octo foliorum, cui reliqui iam deerant cum codex compingeretur, initium collectionis sententiarum quantum scio ineditae continens. Incipit: *De primo scientiae studio. Dei omnipotentis filius inter cetera sacrae suae locutionis verba suis loquens discipulis ait: Primum quaerite regnum dei. Ysid. Primum scientiae studium est quaerere deum, deinde honestatem vitae et innocentiai* (sic) *opere* (Isid. Sent. 2, 1, 3). Nominantur praeterea Beda, Seneca, Augustinus, Hieronymus, Cassiodorus, Hilarius, Laurentius (p. 8. *Nemo desperans salute fruitur*). In hac, ter Sixti nomine addito, novem eius reperiuntur sententiae p. 1 sent. 344. 288. 303. 113; p. 4 s. 9. 10; p. 6 s. 83. 141; p. 7 s. 142. Ad eam designandam siglo B^2 usus sum.

Multis codicis foliis inscriptum est: *Liber Carthusianorum in Basilea.* Sed eam saltem partem, quae Sextum continet, olim in Germania inferiore fuisse docent versus, quibus vacuam ante librum de conflictu paginam aliquis ornavit: *Ach tyt, ach tyt, ach edel tyt, wo drade bistu my entrunnen, Ach tyt, wat salicheyt an dy licht, des han ik my nu recht besunnen. In tyt tidlich sunde beschriet, titlich der doghet begunnen Maket hier vele der sunde qwit unde hirna gifft vroude mit wunnen. We in dosser korten tyd god umme creaturen ghevet, wan it gheyt an eyn scheyden, So blyvet emme nicht van beyden. Lyt mit ghedult in desser tyd, So werstu ewyges lydens qwit.* In quibus voces *tyt* et *licht* male consonantes archetypum produnt dialecto superioris Germaniae conscriptum, in quo bene fuerunt *zît* et *lît*.

Rubricae sunt: *Incipit praefatio Rufini presbiteri. Incipit enchiridion Beati sixti episcopi et martyris. Explicit.*

Saeculi XV ineuntis est **G** codex Guelferbytanus *78. Aug. fol.* chartaceus, a variis manibus scriptus, continens Ephraemi librum notissimum, qui incipit: *Dolor me compellit,* Ioannis

Climaci Scalam paradisi, Caesarei Arelatensis admonitiones, Henrici de Hassia de regulari modo vivendi et Bernhardi de ordine caritatis tractatus, Anselmi proslogion et tandem Sextum. Rubricae sunt: *Incipit praefatio Rufini presbyteri in encheridion sixti papae. Explicit praefatio Rufini presbyteri. Incipit enchiridion beati sixi papae. Explicit enchiridion bti Sixti ppe.* Neglegenter scriptus est, imprimis multa omittit. In fine posterior manus adiecit: *Notandum de suprascripto libro quod beato Sixto papae ascribitur, quia non ipsius sed alterius cuiusdam Sixti philosophi est, de quo in vita philosophorum* (Gualteri Burlaei; comparandi libri olim saepe editi facultas mihi non fuit) *capitulo cx sic legitur: Sixtus pictagoricus philosophus qui claruit temporibus octaviani imperatoris scripsit librum sententiarum moralium notabilium quem enchiridion appellavit; quem librum rufinus presbyter claro sermone ad ayamam* (voluit: aproniani) *cuiusdam preces de greco in latinum transtulit. De quo libro beatus augustinus mencionem facit in libro secundo retractationum.*

Etiam hunc codicem quod ipse tractare potuerim, maximam debeo gratiam Cl. O. de Heinemann, bibliothecae Guelferbytanae praefecto.

Tandem ad apparatum meum accesserunt sex codices Brittannici, cum editione Siberiana quam accuratissime collati a Cl. R. J. Bensly, qui vir humanissimus de consilio meo vixdum certior factus laborem taedii plenissimum, quem rogare nunquam ausus essem, sua sponte suscipere non gravatus est; tanto gratior, quae praebuit, copiis meis adiunxi. De singulis haec accipe:

L antiquissimus, in bibliotheca archiepiscopi Cantuariensis servatus, commemoratur in libro apud nos rarissimo nec unquam vaenum dato *Catal. of the archiepiscopal Mss. at Lambeth Palace. Lond. 1812. fol. n. 237.* Decimi ibi saeculi esse dicitur neque certe multo recentior erit; vocabula fere non separata sunt, unde factum est, ut posterior aliqua manus ea lineolis distingueret; scripturae compendia pauca tantum sunt. Rubricam unam habet: *Incipit praefatio Rufini praesbiteri.* Desinit hodie in sententiae 218 verbis: *Sapiens sapi,* nam reliqua perdita sunt. Si exceperis menda (5 *esse* om., 12 pro *male uti* eraso scriptum est *malum,* 31 *deo,* quod posterior manus correxit, 58 *omne,* 70 *luxuriam,* 71 *in luxuriis,* sed

utrumque pro vocabulo eraso scriptum, 93 *Lib^e ra*, 94 *Sed quod*, 121 *timeas* pro *retineas*, 124 *Expete*, 139 *quod*, 157 *iniudicium* pro *indicium*, 159 *venenum*, 192 *qui habes*, 202 *putas*, 203 *iniuria* pro *iniuriae*, 209 *animae carueris Omnibus hominibus* omissa, 211 *se ipso male utitur* omissa) fere ubique convenit cum codice **W** (etiam in lectionibus singularibus; nam 119 et ipse habet *ferre*, sed litteris *re* per puncta supposita damnatis, et 178 *ea* iungit eodem modo) neque ab eo nisi rarissime recedit, ut 17. 28. 54. 84. 93. 94. 141. 200. 202. Nonnulla manus recentior emendare sibi visa est.

Cantabrigiae inveniuntur quatuor libri:

J membran. saeculi XIII servatus in bibliotheca collegii S. Ioannis. Sextum continet inter quatuordecim tractatus, quos enumeratos esse audio apud Cowie *Descriptive Catalogue of the Mss. etc. in the Library of S. John's College. Cambr. 1842. 4. p. 62.* Praemittitur Hieronymi locus supra p. VIII exhibitus ad vocabulum *transtulerit* usque, qui idem Abstemii codici praemissus fuit. Sequitur Rufini *Prefacio in librum sixti mar.* Reliquae rubricae sunt: *Explicit prefatio. Incipit Encheridion Sexti. Explicit Encheridion bi Sixti pape.*

S membr. saec. XIV pertinet ad collegium *Sidney-Sussex Coll.* dictum et iam memoratur a Bernardo in *Catal. libr. mss. Angliae et Hiberniae Ox. 1697 f. I 2 p. 105 n. 756.* Rubricae sunt: *Incipit praefacio Rufini presbyteri ad Athanasium in lib. Sixti pp. Explicit praefatio. Incipit liber enchiridion beati Sixti pape. Explicit Enchiridion Sixti pape urbis Romae.*

U membr. saec. XV nuper in bibliothecam universitatis illatus praeter Sextum Paschasii de sacramento eucharistiae librum continet. Rubricae sunt: *Prologus Rufini presbyteri in Enchiridion Sixti pape. Finis prologi. Enchiridion Sixti ppe urbis Romae et martyris.*

C apud J. J. Smith *Cat. of the mss. in the libr. of Gonville and Caius Coll. Cantabr. 1849. p. 168 n. 153* saeculo XIII ascriptus, sed Benslyo iudice recentior. Rubricae: *Incipit praefacio Rufini super o^e ncheridion. Incipit encheridion.* Continet sententias 1—300 (omissa e. gr. 280); in eadem pagina aliud sequitur opusculum, cuius prima verba sunt: *Tria medicamenta demonstrat deus hiis qui cupiunt sanari a peccatis suis ·i· conversionem.* Liber collatus est usque ad s. 34.

Quales hi quatuor libri sint paucis adumbrari potest. **J** arcta cognatione iunctus est cum fonte editionis principis Abstemianae (**c**), quocum in maiore lectionum parte convenit; id quod elucebit comparatis e. gr. sententiis 349. 392. At in s. 168, in qua **c** vetustam lectionem servavit, iam praebet recentiorem, antiquiorem autem in s. 309.

U prorsus fere consentit cum Guelferbytano (**G**) eodem saeculo scripto. Eadem in utroque omittuntur, eodem modo in verbis a reliquis uterque recedit. Rem in aprico ponet imprimis sent. 363. Neuter tamen alterius fons censeri potest. Lectio codicis **G** 126 *Oratio tota* pro *Oratio vel vota* orta tantum esse potest ex **U** *Oratio vel tota* praebente; contra lectio codicis **U** 192 *neminem propterea ama, quia habet multas divitias et honores* pro *nem. propterea honores quia habet multas pecunias* originem non habuit nisi in eis, quae mutato ordine scripsit **G**: *neminem, propterea quia habet multas divitias, honores.*

S in pluribus congruit cum **P**; ex gr. vide s. 408. 410. Pertinet huc etiam, quod in s. 410 unus ille veram lectionem, in **P** supra alteram scriptam, a prima manu praebet. In aliis autem crebro cum **G** aut **J** minoris fidei libris facit et multa sibi peculiaria habet, cum menda ut 314 *deo immensum* pro *deo inimicum,* tum verba ex arbitrio ut orationem in melius reficeret mutata; saepius vocabula transponit. Omnino hi tres codices ante oculos ponunt, quomodo post saeculum XI libellus magis magisque depravatus sit.

Denique **C** et ipse derivatus est e libro codici **P** simili, cuius reddit lectiones proprias (s. 14) et quocum saepe facit; cum **A** convenit 28. 29; praeterea cum aliis, imprimis deterioribus libris congruit et haud raro verbis aut incuria omissis (2. 3. *dei est homo dei*, 5 *deo*, 10 *minimum*) aut ex arbitrio mutatis (*12 eo* pro *manu vel oculo*, 15 *quisquam*, 27 *posses*) peccat.

Londinii in museo Brittannico iam invenitur

M codex in Bernardi catalogo II p. 246 n. 8527 (807) in aedibus Iacobaeis indicatus, tum apud D. Casley *Cat. of the mss. of the Kings Library. Lond. 1734. 4. p. 39* recensitus et saeculo tertio decimo, quod nimium videtur, tributus, in quo praeterea Hesychii Hieros. commentarius in Leviticum continetur. Rubricae sunt *Prologus Rufini prbi in libro Sexti pi-*

tagorici. Explicit praefacio. Incipit encheridion. Collatus est usque ad s. 51. Etiam hic liber deterioribus accensendus est [1]).

---

1) Variarum lectionum indicem ex his sex codicibus supplere non licuit nisi hoc loco. Duae enim iam libri plagulae prelum reliquerant, cum insperata accederet codicum **JSU** collatio, unde ea uti inde a s. 197 potui; reliquam ex his et e codd. **LCM** lectionis discrepantiam hic exhibeo, ita tamen delectu instituendo, ut quae singularia aut menda sint aut ordinem tantum vocabulorum spectent plerumque omittam et ea imprimis afferam, in quibus reliqui libri in diversa abeant; ut codicum **JSU** cum aliis cognatio supra commemorata illustretur, indicavi saepius, ubi **PUc** easdem lectiones praebeant.

2 **L** *ut* **W** || 4 **LJSU** *ut* **WPG**: u. indigne deo **M** || 5 **LMJU** *ut* **W**: **SC** *ut* **P** || 6 omnes *ut* **W** || 7 **S** *ut* **A**: *rell. ut* **W** || 9 *omnes ut* **A** || 10 *omnes ut* **W** || 12 non enim *omnes* | aliquod **JSCUM**: aliquid **L** | utens **M** *in marg.* || 13 corporis *om.* **LJSCM** | est *omnes* | sine uno **UG**: cum uno **LJSCMW** | duobus **JCMc** || 14 crede tibi *omnes* | in iud. perm. **SCP** et — et **LJUM**: aut — aut **SCP** || 16 **JMU** *ut* **Gc**: **LC** *ut* **W**: inr. serva id est non te laudes mundo. nec praebeas **S** *cf.* **P** || 17 omnia **JMc**: omni **LSUWG**: omne **C** | ante **SMc** | propter lib. **L** || 18 est deo **UG**: deo est *rell.* || 19 **U** *ut* **G** || 20 deo redde **SC** || 21 quia **S** | **U** *cum* **G**: *rell. cum* **W** || 22 *om.* **JMU** || 23 putato **UG**: puto **LSCWP**: puta **JM** | neminem nocere **M**: **JSC** *ut* **P** || 25 putas **C** | substantiam **LSCU**: sapientiam **JMc** esse *om.* **LJM**: esse ins. **SCU** || 26 mov. sp. *omnes* || 28 non *omnes* | nec **LJSUM**: non **C** | nomine **JUMGc**: nomen **LCW**: nom̄ **SP** | compellatur] accepit **C** | accepit **LSCWP**: accipit **JUMGc** | alius alius **M**: aliud aliud **LJSUCWP** | posuit **C**: imposuit **LJSUM** || 29 in deo **SC**: in deum **LUMWG**: de deo **Jcr** [*ita scribendum*] || 30 Deus *om. omnes* || 31 ea *om.* **SUG** || 32 non *cet. omnes cum reliquis contra* **AQ** || 33 est deus **SJC** | sit **M** || 34 ita **LCMW** | quam **L**: *om.* **C** | secundus *om.* **LSUCW** | *Hucusque collatus est* **C** || 35 inquit **L**: inquam **JMcr** | est s. dei **LJUM**: est s. deo **S** || 36 sui *om.* **L** *a prima manu* | prom. **U** || 38 ingerat **U**: invehat **SJ** || 39 exierint **JS** | etiam nov. **M** *ut* **A**: **SU** *ut* **G**: **L** *ut* **W**: **J** *ut* **c** || 41 supra **LMW** | **U** *eadem om. atque* **G** || 42 supra **LJW** | tibi *om.* **SP**: tui **MJ** || 43 tu demum **M**: tu *om.* **S** || 46 deo est **MSJC** | ei *om. omnes cum* **W** *cett.* || 47 sola deo **LS**: soli deo **M**: sola est deo acc. **U** (*cf.* **G**) || 48 in quantum *omnes* || 49 indiget **SP** | sol. dei *omnes* || 50 illum] eum **SU** || 51 satage **S** | fuge *omnes* | *Hucusque collatus est* **M** || 52 apud **LJSU** || 54 quo **U** | non de deo **LJS**: de deo non **U** | hoc *om.* **SJc** | computa te **J** 55 autem tua **JUG** || 56 sunt **SP** || 57 Bona **LJSU** | sit apud deum **UG** 58 eo *et* age **LJSU** || 59 quod **LJSU** || 60 accepit **LJSU** || 62 malorum *om.* **SUG** || 64 vere] iustum **S** || 66 latebit **LJc** | ne **LJU** | cog. mala **S** 74 V. vel r. **LJSU** || 75 Quanta **UG**: quia quot **LJSPc** || 77 **U** *ut* **G**: **LS** *ut* **WP**: **J** *ut* **c** || 79 tibi ducito **LJU**: tibi utile ducito **S** || 80 cum **S**: dum **LJUc** | deum oras **JUGc** | semper talis **LJSU** || 81 a deo **LJSUPc**

Ad subsidia critica constat pertinere locos, quos in usum antiquissimi quique scriptores converterunt. Huius generis

et **G** || 82 cum distribuis **LSU**: cum distribueris **J** | qui te scias **LJSU** | 83 magniloqua **U** | est mal. m. **LJSPc**: est m. mal. **UG** || 84 loqui **JSc** | fit **JSU**: sit **L** || 85 est **LJSU** | solum *om.* **JUc** || 86 p. **SP**: p. est **LJUGc** est amic. **LJSU** *cum* **WOVGrw** || 89 prox. tuis **LSJU** || 90 quod culpas **UA**: quae culpes **Jc**: quae culpae est **LSWP** || 91 petere] facere **S** || 92 quod **U** || 93 delibera **U**: libra **JS** | pr. agas et fer. Quod facturus es vide quale sit **S** | provide **Jc**: praevide **LUG** | quale est **LJU** *ut* **W** || 94 ne — nec **L**: nec — nec **JUS** || 96 apud **SP** | hom. affl. **U**: affl. hom. **JSc** 97 inlum. **LSUPG**: illustr. **Jc** | cogit. **SP** || 98 esse de min. **UG**: esse de med. **Jc**: esto. De med. **LSP** || 106 omne **LJSU** | vero et. pl. **LSP**: vero pl. **JUG** || 108 castitati **LSP** || 109 quid esus ind. est **Jc** | est **UG** 112 satagas **S** || 113 omne **JU** | esse *om.* **S** || 117 *om.* **S** | c. e. quia ignoras **LJUG** | sunt **LUG**: sunt tibi **Jc** || 118 auf. p. **UG** | a te *om.* **Jc** || 119 ut **S** | sit **Jc** || 121 si cont.] contempnens **S** | **U** *prorsus ut* **G** || 122 *om.* **S** | de deo **L**: a deo **Jc**: deum **UG** || 123 lux **UG** || 126 vel tota **U** | nisi id quod cum habueris in perpetuo **UG** [*sic lege*] || 129 animam **LJSP**: a. tuam **UG** | magnum aliquid **LJSU** | de se *om.* **UG** || 130 potest a te a. **LSU**: possit a te a. **J** || 133 nec conveniat **L**: non convenit **JUc** | ad — conv. *om.* **SG** || 134 Ea **Jc**: hoc — quod **S** || 135 sola *om.* **UG** | hoc — quod **S** || 138 dum **LUG** | plus **UG** || 139 quid **JU** | nat. parit corpus quod m. **S** | vero *om.* **S** || 140 sit **LJc**: est **SU** || 141 *om.* **S** | amat **LJc**: habebit **UG** || 142 his **J** | ei **L**: eum **JSUG** || 144 sapientis **LJSU** || 146 Inexplebilis **JSU**: inexpl cabilis (*sic*) **L** || 147 sim. est sibi **UG** || 149 Malos **SU** || 150 fit **JSc**: fiet **LUG** || 152 iacere **S** | verbum **LSUG**: verbo **J** || 153 antequam **L** | ne quae **L**: ne quod **UG** || 156 erit **LJU**: est **S** || 157 est longa **LJSUc** || 158 ama **LSUG**: dilige **Jc** || 161 Tunc **LJSU** (*contra* **PGc**) 163 importunus **SUG** | est **U** *ut* **G**: **J** *ut* **c**: est malae mentis **S** || 164 satagas **JSc** | primus **LJSUG** || 165 melius **L** | a vera dicente **U** || 166 omnes *om.* **SUG** || 167 animas **LJSUG** || 168 **LS** *ut* **WP**: magis decet sapientiam **J**: nil tam decet sapientiam **U** (*cf.* **G**) || 171 magis amat **J** || 172 est in. **UG** || 173 in *om.* **UG** | utitur de deo **LJ**: utitur deo **SP**: deo utitur **UG** || 177 tuam **UG**, *non* **LJS** || 178 debet **LJSU** | facias **LSUPG**: id feceris **Jc** || 179 Ea quae **LJSU** || 180 est turpe **J** | aliis **BJ** *et a secunda manu* **L** | facienda *om.* **JSUGc** || 178—180 **LU** *ut* **W** || 181 tuis **SUPG** || 182 quia **LJSU** || 183 iudicans **LJS** | et ipse **LJS** | iudicaberis **J** | 182. 183 quia praeest tibi deus et iudiceris a deo **GU** || 185 uulnus **LW**: ulcus **SP**: verbum **UG**: peccatum **J** || 186 omne verbum **UG** | hominem **LJSU** | deo **LW** || 187 si cum **LJSU** | vincaris **S**: vindicaris **LJU** 189 qu. vid. m. **Jc** || 190 hab. apud te **LJU**: apud te hab. **S** || 192 propt. ama quia habet multas divitias et honores **U** *cf.* **G** || 194 et deum *om.* **GU** || 195 a deo **LSUG**: *om.* **Jc** || 196 illum bene **J**: te bene — credis **U**. *Etiam* **JSU** *post* 199 *ponunt* || 200 quod **L** || 202 et turpe **L** *contra*

testes tres se offerunt. Legitur enim in Regula Benedicti ante a. 530 composita c. VII (v. Lucae Holstenii *Cod. regular. monast. ed. Mar. Brockie. Aug. Vind. 1759. fol. I p. 120*[b] Migne LXVI p. 374): *sicut scriptum est: sapiens verbis innotescit paucis* cf. sent. 143, id quod ex hoc fonte, ut collatis reliquis apparet, repetit Regula Magistri septimo saeculo conscripta c. IX. *Et item dicit scriptura: Sapiens paucis innotescit verbis* (Br. I 239[a] Migne LXXXVIII, 965). Sed haec etiam aliam sententiam eamque 152 affert in cap. XI (I 244[a] Migne 973): *Nam et Origenes sapiens dixit: Melius est lapidem in vanum iactare quam verbum.* Tertius est fraudator ille, qui medio saeculo nono litteras decretales quasi ab Isidoro collectas finxit. Sententiis 6 coniuncta cum 166, 7, 170, 171, 178 coniuncta cum 179, 184, 186, 196, 212, 259, 302, 338 usus est atque ita ut plerasque pluribus locis afferret; 6 cum 166 iuncta, 184, 259 leguntur etiam in Angilrami capitulis, arcta cognatione cum decretalibus iunctis. Singulas suo loco secundum Hinschii editionem Lps. 1863. 8 indicavimus.

De codicum indole iudicaturis perpensa lectionis discrepantia statim apparebit, duas esse eorum stirpes, alteram quam **AQ** constituunt eamque longe praestantiorem, alteram **WLOPVBJSCMGUcwr** complectentem. Luculentum discriminis testimonium habemus in sent. 32, in qua quae in **AQ** leguntur verba eaque necessaria *non enim ministrat ad nullum* desunt in reliquis, qui addere coacti erant *quam angelus.* Alia sunt 12. 28 (*compellatur. posuit*) 47. 51. 57. 83. Sententias 425. 426 **A**, qui ibi solus est, ita praebet

Anima sapientis
probatur a deo per corpus. Non lingua sapientis
probabilis est apud deum sed mens.

Inde omissione facta explicari potest reliquorum lectio

Anima sapientis
probabilis est apud deum sed et mens.

Nam *et* vocula addenda erat, ut quaedam saltem intellectus species oriretur. Similiter cum in sent. 280. 281 *Non ergo*

W || 208 malitia **L** || 209 non — cum **L** || 214. 215 *transponit* **L** || 214 hominibus **L** || 215 vivere deo **L** || 217 dominus **L** || 218 sapiens sapi *ultimae in* **L** *voces sunt* || 280 **M** *ut* **Jc** || 425. 426 **M** *ut* **W** *cet.*

Ad 394 *exciderunt in p.* 67 *post:* et *om.* **S** *haec:* agnosce] agnoscit **WBJ**: ignoscit **OP** | quid est in **WOPSJU** |

tibi indulgeas plus diffundi, quam subridere. Alacritate magis utere quam resolutione nonnulla verba exciderint, ut restaret, quod **WOP** adhuc praebent . . . *indulgeas diffundi quam subridere quam resolutione,* posteriores haec ut quodammodo intellegi possent pro viribus immutarunt. 384 **A**: *libenter habet doceri.* Praetermissum erat in altera classe *habet,* uti in **O** nunc etiam est *libenter doceri,* quod reliquis corrigendum videbatur. In sent. 325 in **A** est *in fide,* quod solum intellegi potest; quod irrepsit mendum *in fine* per ceteros omnes propagatum est. In sent. 436 solus **A** recta ratione interpungit, qua deserta in altera classe perturbationi medendum erat verbis immutatis. In his res ipsa antiquiorem lectionem codice **A** contineri demonstrat; in aliis Graeca ubi supersunt verba idem docent. Exempla sunt: οἰκειότερον, **A**: *tam vernaculum,* reliqui: *docet magis.* 13 χωρὶς τοῦ μέρους, **AQ**: *sine membro,* reliqui: *cum membro.* 417 ὁρᾷ, **A**: *intuetur,* reliqui: *audit;* hic etiam in serie sententiarum **A** cum Porphyrio congruit. In uno tantum loco 152 dubitare possis, an secundae classis libri, quibuscum Regula Magistri consentit, veram servarint lectionem, cum in Graecis eadem diversitas sit. Inter membranaceos **WOPVB** [1]) ut **WOP** antiquiores ita etiam arctius inter se cognati sunt, imprimis **O** et **P**, sed etiam hi et **W**, cum pluries, et soli quidem, in vitiis consentiant. **O** et **P** praebent 177 *viam* pro *vitam,* 208 **O** *mali,* **P** *malum* pro *malitia,* 298 *factibus* pro *actibus,* 380 *differri* pro *differt,* 394 i*gnoscit* pro a*gnoscit* vel potius *agnosce,* in quibus **W** mendo caret. Omnes tres conveniunt in male scriptis 16 *irreheprensibilem non,* 90 *quae culpae est,* 274 *concupiscit* pro *compescit,* 298 *delitiis* pro *delictis,* 394 *ignosc*it vel *agnosc*it pro *agnosce,* 383 (cum **V** et **w**) *paucas inter* pro *pauca sint.* 178—180 **O** et **P** atque ex parte **Ww** peculiarem ostendunt verborum distinctionem, quae eadem apud falsum Isidorum invenitur, unde, collata de qua dixi sententia 152, iam nono et septimo saeculo utriusque codicum stirpis discrimen fuisse efficitur. Ex iis quae de s. 280 et 384 (in qua **W** verba iam emendare studuit) modo commemorata sunt, facile quis concludere possit, hos tres codices proxime a primario lectio-

1) Codicum sex Brittannicorum, de quorum indole supra dictum est, rationem hic habere nolui, cum aut cum aliis, ut **L** cum **W**, **J** cum **c** et **U** cum **G**, congruerent aut mixti generis essent.

nis fonte abesse eisque prae ceteris inhaerendum esse. Nihilominus eos ubique sequi non licuit, cum neque inter se semper convenirent, neque constanter a **V** et **B** dissentirent, neque ubivis meliores lectiones praeberent. Hoc saltem certum est, nullum horum quinque codicum ex altero esse transscriptum et singulos interdum solos lectionem cum **A** vel cum Syro vel cum Graeco concordantem vel per se praeferendam servasse. Hoc valet imprimis de **V** cf. 77. 93. 354. 395. 415. 436, de **P** 248. 410, rarius de **B** cf. 16. 383. In **P** interdum meliores alibi non servatae lectiones supra scriptae sunt 410. 415, in **V** 309 (quarum postea una 410 in **S**, altera 309 in **J** a prima manu receptae inveniuntur). Itaque tunc tantum, si ex alia ratione res decidi nequit, antiquior quisque praeferendus est.

Reliqui codices, **G** et, quibus nitebantur impressi libri, **w c** et **r**, iam magis a pristina sinceritate recedunt et haud raro idem studium aspera mitigandi, insolita immutandi, obscura explicandi produnt, cui etiam magis aucto textus vulgaris, ut supra docui, originem debet. Imprimis hoc conspicitur in **c** et **r**, qui saepissime eandem lectionem singularem et evidentissime ex arbitrio ortam exhibent. Cf. 13 (*duobus*) 38. 74. 77. 97. 117. 134. 144. 158. 164. 173. 177. 178. 187. 199. 200. 201. 212. 230. 231. 233. 260. 262. 268. 269. 309. 324. 333. 338. 346. 354. 378. 406, et 28. 226. 329. 331. 410. 413. 415, in quibus accedunt aut **S** aut **J** aut **U**. Raro eandem offensionem vario modo tollunt, uti 247, ubi sententiae quasi mancae alter addit *cave*, alter *rogo*. Contra etiam in vitiis sat miris concinunt: 270 uterque pro *similis* habet *fidelis*, et 392 *immensa philosophi libertas* pro *in mensas. Phil. lib.* Ad hos proxime accedit **G**, qui interdum easdem atque illi lectiones praebet, ex. gr. 259. 275. 276. 405 (leviora sunt 28. 117. 147. 233. 381. 451), plerumque autem suam sibi rationem init. Sic 163 pro *extra tempus* praebet *importunus*, 272 pro *perpetua* habet *in aeternum*, 123 pro *lex*, prorsus ut textus vulgaris, *lux*. Multo minus depravatus est **w**, qui maximam partem pro membranaceis stat. Vix semel e consilio verbum mutat, ut 415 *in praesentibus rebus* ponit, ubi reliqui *in nullis rebus* aut *illis* legi volunt. Sunt tamen loci, in quibus cum **cr** facit; cum **c** mire concordat 394. 395, sed contra cum **WOP** in verborum distinctione 178. Sed ut novandi illud studium iam

in antiquissimis codicibus vigere coepit (*non* cum coniunctivo qui vetantis est compositum, quod magis magisque codices et textus vulgaris submovent, semel 28 (*ne quaeras*) etiam a **Q** reiicitur; *quia* post verba sentiendi, quo Rufinum usum esse librorum in initio prologi et in sent. 183 consensu comprobatur, in sent. 117. 358 a paucis, 182 a pluribus, in sent. 21. 22 ab omnibus praeter **A**, itaque etiam a **Q** in *quod* mutatur; dativum in sent. 142 *latebunt ei*, Tertulliano familiarem, evitant **VGw**; in sent. 25 iam **V** pro *substantiam* cum **cr** praebet *sapientiam*), ita etiam deterioris notae libri interdum contra **WOPVB** veram conservarunt lectionem, quae alteri codicum stirpi propria est. Luculentum exemplum exhibet sent. 168, in qua **cr** cum **A** habent *tam vernaculum*, quod neque arbitrio neque coniectura finxisse, sed traditum repetiisse tantum censeri possunt. Atque hoc non semel factum est, cum eidem cum **AQ**, vel ubi solus est cum **A**, contra reliquos consentiant in sent. 14, 28 (*alius* — *alius*), 30 (*deus*, quod male in alterius classis codicibus excidisse Syrus confirmat), 39, 58 (in vitio: *agere*), 93, 106, 167, 378 (*poposceris*). Sic codicum **AQ** lectio in **WOPVB** non amplius exstans invenitur in **G** 75, in **Gw** 13, in **Gwcr** 146, in **G**, at etiam **V** 16. 21. impr. 77. Alibi Graecus aut Syrus veram lectionem servasse testantur **G** in sent. 13, **Gwcr** in sent. 217. **VGr** in sent. 395; semel (s. 310) probabile est solos **cr**, semel (s. 143) solum **c** ipsa Rufini verba habere.

Quomodo codicibus ad restituenda verba utendum fuerit, facile apparet. Cum absurdum fuisset libros **AQ**, quia minorem tantum sententiarum partem continerent, repudiare, in 173 ex 451 sententiis eis inhaerere, in reliquis alteram stirpem sequi necesse erat. Ita inaequalis quidem et anceps oritur orationis conformatio, sed huic damno medelam is demum afferre poterit, cui alios vetustiores codices in lucem proferre contigerit [1]).

1) Praeter eos quibus uti licuit mihi innotuerunt hi, inter quos nullus est, de quo meliora exspectari possunt. Leidanus unus, cuius notitiam benevole misit Cl. de Goeje (cf. *Cat. p. 375. membr. Vossii 2*), rubrica insignitus *Incipit prologus Ruffini in libro Sexti pictagorici* epitomen tantum continet pessime factam, ut specimina haec demonstrabunt: 27—34 *Magnitudinem dei non invenies q̄ n̄ volare possis. Sapiens lux est incapax contrarii. Tam pretiosus est homo apud deum quam angelus. Vive igitur ita tanquam sis secundus post eum et electus*

Quae in **AQ** servatae sunt sententiae omnes idoneae sunt; inter eas quae alterius stirpis fide nituntur, non desunt corruptae, quae non codicum ope sed coniectura tantum restitui possunt, ut 173. 197. 309. 401 (etiam 390. 410) et, quibus mederi conatus sum, 184. 236. 262. 329. Alii critices adminiculo, comparationem dico cum dicendi genere quo Rufinus interpres usus est, renunciandum erit, quia de eo ex editionibus quales nunc sunt constare non potest. Itaque etiam abstinui a con-

---

ab eo. 280—283. *Nimius risus indicium est animi neglegentis. Peccantem vero innoiescere* (ita legunt **Jc**) *quam ignorare melius est.* 308—328 desunt. Alius, quem catalogus p. 346 cod 52[c]: *Liber beati Sixti qui vocatur anulus* indicat, in illo volumine amplius non exstat. Vratislaviae bibliotheca universitatis codicem servat membranaceum (I **Q** 128) saeculi XIV, in quo praeter alia maximam partem moralia (Holusculum noviciorum, tractatum de amicitia, varia Senecae, sententias philosophorum cet.) fol. 68[r]—69[r] eiusdem generis excerpta contineri mihi significavit Cl. Reifferscheidius. Rubrica est: *Incipiunt quaedam perutiles sententie sixti pape;* initium: 3. 4 *Homo dei est qui deo dignus est et deo dignus est qui nihil indigne agit.* 6 *Dubius in fide infidelis est;* finis: 308 *Deus inter omnia opera sua plus super sapientem gloriatur.* 284 *Sapiens* (sic) *non est phylosophus.* 450 *Sapientis mens speculum dei est.* Bruxellis tres aut quatuor sunt, breviter recensiti in *Inventaire* p. 97. n. 4833. 4834, alter saec. XIII vergentis, alter saec. XIV vergentis, p. 110 n. 5475 alius saec. XII vergentis, tandem p. 191 n. 9814 '*Beati Xisti papae et aliorum enchiridion. Inc. In — ego dicit dominus. saec. XI*', quae verba rem dubiam reddunt. Oxonii nullus in catalogis recentius editis commemoratur; in vetere Bernardi *Catal. libr. mss. Angliae et Hiberniae. Ox. 1697. f.* invenies Bodleianum I p. 100 n. 1979, f. 4[b]—9 (quem post a. 1450 scriptum esse Cl. Coxii verbis testatur Bensly). Middlehilliensem Th. Phillippsii, antea Leandri van Ess recenset Haenelius p. 810 n. 402. In Gallia chartaceus saec. XV invenitur in urbe S. Deodati (*St. Dié en Vosges* cf. *Cat. des mss. des dép. III p. 491. n. 33*). Florentiae habetur chartaceus saec. XV, descriptus a Bandinio *Catal. ms. lat. bibl. Laurent. V, 575,* ex quo prologum supra p. VIII exhibui. Tandem Norimbergae in bibliotheca Ebneriana n. 127 inveniebatur *Sixti papae et martyris enchiridion cum prologo Rufini.* subiunctum *Hieronymi* (sic) *versioni lat. hist. eccl. Eusebii,* cf. Murr *Memorab. bibl. Norimb. II 1788 p. 92,* quod quo post venditam bibliothecam pervenerit non constat. In bibliothecis Monacensi, Berolinensi, Bambergensi, Erlangensi, Lipsiensi senatoria, Gothana, Lovaniensi exempla non sunt, nec ullum inter vetustiores codices in Helvetia et Italia a se excussos commemorant Halmius et Reifferscheidius, qui omnino se nullum saeculo XV antiquius reperisse coram testatus est.

formandis inter se, cuius rei occasio data erat, vocabulis (e. gr. 287 *sapientum*, 294 A *sapientium*), cum nunc maxime quid codices praebeant intersit. Orthographiam consulto in omnibus restitui eam, quam antiquissimus cod. **W** praebet satis aequalem; nam praeter singula, quae supra recitavi, menda in una tantum re sibi non constat; dum *in* praepositionem ante *m* litteram ubique retinet et ante *p* quoque *inpertiri*, *inpudicus* habet, plerumque scribit *impedire*, *imperitia*, *impius* al., quae ad analogiam revocavi. Lectionis discrepantiam integram subiunxi quae etsi librum sat grandi quisquiliarum copia onerat non omittenda videbatur, cum de codicibus nil adhuc innotuerit et hoc saltem ex farragine eluceat, quomodo sensim mutata et depravata sint scriptoris verba. Aliquoties interrogandi signo addito indicavi, in collatione cum Orellii editione instituta aliquid praeteritum esse me ex indole codicum suspicari; nam quam difficile sit in comparandis libris, nisi perfecto opere denuo inspici possunt, errorem evitare, neminem rei peritum latet. Numeros singulis sententiis primus Bigneus apposuerat 430, quos ad 427 si minueret bene mereri sibi visus est Orellius, ad 429 rursus evexit Lasteyrius; Siberus 465 fecerat. Quanquam talia etiam minus idonea, ne confusioni occasio praebeatur, in universum retineri praestat, hic tamen novando supersederi non licuit, cum in textu vulgari multae sententiae non solum omissae, sed etiam loco suo motae essent. Novis tamen numeris Orellianos lunulis circumdatos adiunxi.

Syriace conversas Sexti sententias e septem codicibus Londiniensibus [1]), inter quos duo medii saeculi sexti sunt,

---

1) Aliorum notitia peti potest e Cl. Wrightii *Catal. of Syr. Mss. in the Br. Mus. vol. II 1871.* Libri maximam partem usque ad p. 25, 7 continet cod. 17168 saeculi noni (cf. p. 777), primam partem usque ad 9, 11 cod. 17166 saec. sexti (p. 659), totam primam cod. 14535 saec. noni (p. 799), eandem ut vid. codd. 18819 saec. noni (p. 804) et 17262 saec. duodecimi (p. 870). Excerptas sententias una plerumque pagina vel duabus comprehensas vel etiam pauciores praebent 17173 saec. septimi isque easdem bis (p. 727), 14577 saec. noni (p. 785), 14613 saec. noni aut decimi (p. 813), 12163 saec. decimi aut undecimi (p. 836), 17178 saec. undecimi aut duodecimi inde a sent. 227 p. 4, 30 et nonnullas (p. 890), 14738 saec. tertii aut quarti decimi inde a sent. 421 p. 24. 5

edidit Cl. Lagardius in *Analectis Syriacis Lps. 1858. 8. p. 1—31* et ita edidit, ut rarissime tantum e certis causis in lectionibus praeferendis ab eo recedendum esset. Libri dispositio, de qua parum considerate disputatum est, facile intellegitur. Trium, in quas dispertitur, partium prima ex omnium fere codicum consensu indicem gerit *Dicta selecta sancti Xysti episcopi Romani*, et 131 sententias hinc inde, sed eodem ordine quo Rufinus utitur usque ad 433 excerptas continet, similis in hac re codici latino **A**; in neutro apparet, quo consilio delectus institutus sit. Subiungitur p. 8, 5—9, 25 appendix, in qua duae sententiae Rufinianae 180 et 236 leguntur. Sequuntur tredecim sententiae 188. 199. 205. 226. 233. 251. 252. 255. 264. 282. 294. 301. 340, quarum nulla antea legebatur, et tandem altera appendix paucarum sententiarum p. 10, 12—21. Pars secunda, in antiquioribus codicibus insignita titulo *Secundus sancti Xysti* aut *Eiusdem sancti Xysti*, comprehendit p. 10, 23—25, 12 totam Rufini seriem a prima ad ultimam usque; desunt tamen praeter singulas quasdam 36—41. 44—77. 233—239. 350—369 (sex exceptis), et sententiae 357. 359. 364—412 suo loco motae leguntur p. 26, 15—28, 7. Sed has medio in versu 23, 28 inserendas eiusque rei causam nonnisi in turbato in archetypo foliorum ordine quaerendam esse eo magis certum fit, quod et ipsae contextum sententiae 47, quae nunc legitur p. 26, 13—15. 28, 9—10 in duas partes dissecta, male interrumpunt. Versus illi editionis quinquaginta quinque prorsus idem spatium implent atque unum codicis E folium, et vix excedunt foliorum codicis H ambitum. Iam eodem modo sententiarum 36—77 defectus explicari potest; has enim in quinione illis quae locum mutarunt respondisse computatio docet. Is ita dispositus erat, ut in fol.

1	legerentur	sent. 1—35, quae in edit. efficiunt versus	58
2	„	sent. 36—77	
3—8	„	s. 78—356, quae efficiunt v. 334 = sexies	55
9	„	s. 357—412, quae efficiunt versus	55
10	„	s. 413—fin., et quaedam alia.	

(p. 856), in quo codice quae p. 855 n. 6 indicantur e Pythagora Syriaco 9. 10 *Anal. p. 196, 5* sumpta sunt. In codd. 18819 14613 et 17262 libellus alio atque in Lagardianis titulo ܡܡܠܠܐ inscriptus est, sicut apud Ebediesum ܡܐܡܪ̈ܐ nominatur p. 40 ed. Ecchell., p. 48 ed. Assem.

Itaque plagula quinionis secunda discissa fuit; folium prius interiit, alterum nexu soluto falso loco insertum est. Deinde p. 25, 12—26, 15. 28, 9—29, 14 novarum sententiarum appendix et hic sequitur, in qua Rufini sententiae 47 et 180 repetitae sunt, et tandem ab hac distinguenda altera appendix 29, 15—30, 8. Pars quae dicitur tertia duobus minoribus sententiarum ordinibus constat. Quem priore loco 30, 10—31, 1 posuit Lagardius codices duos saeculi IX et XI secutus, ab antiquis illis duobus saeculi VI libris abest (reliqui mutili sunt) et in altero illo XI saeculi codice post opusculi finem praefixa nova rubrica reiectus est, unde apparet a libello alienus et postmodum assutus esse [1]). Reliqua series 31, 1—10, in qua sententiarum Sextianarum vestigia sunt, secundae partis appendici alteri adiungenda videtur, quanquam cur tam pauci versus partis tertiae nomine insigniti sint obscurum est.

Ex hac igitur opusculi conditione elucet, duos homines per se quemque nec alterum ab altero pendentem Sexti sententiis Syriace reddendis operam navasse, et ita quidem ut alter, uti recte indicat partis prioris titulus, delectum tantum sententiarum facere in animo habuerit, alter omnes tractare sibi proposuerit. Ille postquam ad finem pervenit nonnullas antea relictas subiunxit. Nil interest, si statuas, ab alio versas, ab alio excerptas esse sententias. Utrumque opusculum tum male conferuminavit homo, qui omnibus Sexti sententiis colligendis intentus et diversa utriusque specie, cum revera in verbis rarissime consentiant, deceptus, pro diversis habuit libris, qui unum eundemque constituunt; servavit epitomes quem invenit indicem atque integram alteram collectionem

1) Id etiam ex nomine *Christiani* p. 30, 10 a Sexto prorsus alieno colligi potest. Illa fortasse ex alio libro, quales apud Syros sub Xysti nomine ferebantur, desumta sunt. Librum *amantium deum* ei tribuit Ebediesu l. l. In cod. Musei Britt. 12155, qui saeculi octavi est, apud Wright *Catal.* p. 935 insunt excerpta ex *epistula* Xysti, *quam scripsit de eis qui continuo discere cupiunt, at non faciunt quod dicunt, in qua sermo quoque fit de eis qui clerici fieri volunt.* In cod. 14612 (saec. sexti aut septimi p. 687) sententiae inveniuntur ex eius libro ܡܠܦܢܘܬܐ dicto, quarum prima ita se habet: *Mi fili, si iustificari potes (bene est;) sin minus, cave ne pecces; si egenis impertire potes (bene est); sin minus, cave saltem ne rapinas facias.* Apparet igitur, non de hoc Sexti libro, in quo talia non leguntur, sermonem esse.

libri secundi nomine insignivit. Hac forma opusculum multis placuisse sat magnus, qui etiamnum superest, exemplarium numerus demonstrat; omnia autem illa ex eodem archetypo neque tamen eius, qui opus adornavit, sed aetatis inferioris, ducta esse, non solum folium illud transpositum indicat, sed etiam omnium in omittendis vel transponendis sententiis atque in depravatis verbis, qualia sunt ܒܘܪܟܟ s. 262, ܦܓܪܐ s. 402, consensus, dum ceterum in minimis tantum plerumque formas grammaticas et syntacticas spectantibus inter se discrepant; nullum autem ex eis prorsus spernendum esse inde apparet, quod solus E isque non antiquissimus sententias a ceteris omissas sed genuinas 6. 7 et recentiores interdum, ex gr. in sent. 376 p. 26, 27, veram lectionem servarunt. Eadem omnino ratio est unius, qui praeterea notus est, codicis Vaticani saec. XIII apud Assemanium *Bibl. Or. Vat. I 429. 610* descripti, nisi quod partem tertiam, ne nimis brevis sit, a sent. 376 inchoare iubet.

Multa laude interpretes digni non sunt. Scriptoris verba male saepe intellexerunt, neque bene sed iusto licentius reddidere. Linguam quidem Graecam vulgari modo callebant et raro tantum in singulis vocibus (ut *κρηπίς* s. 86) haeserunt, sed percipiendo sententiarum sali et acumini crebro impares se exhibent, neque aliud in hominibus, qui e psalmis litteras discere et ingenium excolere solebant, exspectari potest. Ut accurate et arte quadam verba redderent, ipsi omnino non spectabant; librum, quem ad mores emendandos et pietatem commendandam aptum putabant, suorum usui tradere curabant. Itaque non mirum est, si sententias, de quarum origine Christiana eis persuasum erat, suae rationi suoque sensui accommodare non dubitarint, plures uberius explicarint, aliquando additis, quae cognatae viderentur, vocibus sacris maximam partem ex epistulis Paulinis desumptis illustrarint. Interdum tam vago interpretandi genere utuntur, ut collocatio tantum sententiarum doceat, cui Rufinianae respondeant. Aliquanto accuratiorem altero se praebet is, cui primam partem debemus. Perversum foret opinari, eos singulas sententias ad doctrinam, quam veram putarent, curiose perpendisse et quae sibi minus recte dicta viderentur de industria mutasse; mutationis, ubi facta est, causa fuit ingenii tenuitas, non consilium. Haud raro etiam prava codicis Graeci, quo usi sunt, conditio eos

in errorem induxisse potest; ita etiam frequens illa sententiarum separatarum per particulas (γάρ, δέ) coniunctio falsa, quae eadem in similibus libellis e. gr. apud Pythagoram Syriacum inveniri solet, ad veterem codicum continenter scriptorum conditionem referenda est. Tandem in censum venit, ipsa interpretum verba, cuius rei multa indicia sunt, nobis non integra esse tradita, sed usu iam multum depravata. Exempla singularum vocum ex annotatione hic non repeto; mutilationis aut in Graeco aut in Syriaco codice factae certa vestigia sunt 5. 357. 360. 421. 432 [1]). Quamquam non desunt

1) Iniuste — nam addenda haec sunt, ne quis a litteris Syriacis alienus ei imprudenter confidat — de Syro, quem unum putat, disserit Ottius in libro supra p. IV commemorato, qui haud memor, illum non doctum hominem, sed clericum fuisse, per totum suum libellum acerbissime in eum invehitur, iniuste dico, cum quae correptioni ansam dederunt saepissime aut apud Syros ita non legantur (nescio an ab alio quodam, cum ipse nusquam si recte memini linguae Syriacae scientiam profiteatur, sit inductus) aut ab ipso male sint iudicata. Ita ludicrum fere est, si III 7 Syrus increpitatur, quod sententiam 395 (379 sive Ottio 381) *dei opus bonum homo bonus* 'crude' (geradezu ungenießbar in sachlicher wie in formeller Beziehung) verterit: der beste Diener Gottes ist der Gute, der Diener des Guten derjenige, welcher Gott gefällt; nam vocabulum Syriacum tum *ministrum*, tum *opus*, hic autem, cum puncto superno instructum sit, nil nisi *opus* significare posse alias vel tironibus notissimum est. Quod est *vere sobrius* sent. 278 Anal. p. 5, 28 redditur II 19: ein Jünger der Wahrheit; quod est *in iure iurando tuo* sent. 165[c] p. 16, 20 putat esse III 36: in deiner Sünde (quod absurde explicat: in einer dir gehörigen Sünde, persönlich) eoque Syrum Xystum ‚onerasse' (hat ihm aufgebunden) nos docet; ibidem dum pro *perturbatione et angustiis* verba ponuntur: (für den) Aufwiegler und Bedrücker (ziemt sich die Lüge nicht), ipse Syrus dicto insulsissimo oneratur. Syrus vituperatur III 25, quod in sent. 214 (206) Anal. p. 18, 13 pro *viro sapiente* praebeat: eine gute und weise Belehrung: sed vocabulum Syriacum *doctorem* tantum neque *institutionem* significare posse, quis levissime linguae cognitione imbutus est qui nesciat? *Ἡδοναί* s. 71 (63) p. 2, 19 ei II 14 sunt müßige Stunden, *familiaritas hominum profanorum* (273 p. 5, 21): gemeine und laxe Gewohnheiten III 34, (unde factum est, ut male pro *se ipso* legeretur: sein Geist), *sinceritate superare* 398 (382 = 384) p. 6, 23: mit reinem Innern erforschen. *Salvare* in sent. 373 (357 = 359) a Syro p. 26, 25 ait III 8 esse mitigatum (in minder anstößige Gestalt gebracht): sed Graecum *σώζειν* nullo alio vocabulo Syriaco reddi solet. Per hanc linguae inscitiam fieri non potuit quin totae a veritate detorquerentur sententiae. II 32 habet: Gott ist nicht ein solcher, der . . ., sondern er setzt auch . . . atque id ait

loci, qui veram intellegentiam sententiarum apud Rufinum obscuriorum aperiunt, maxima tamen Syrorum utilitas in eo

---

esse: des Kerns beinah ganz beraubt und zur geringfügigen Phrase gemacht; Syriaca s. 381[a] p. 27, 4 sibi volunt: *Deus non eius est, qui . . ., sed eius, qui . . .*, quae quam diversa sint facile apparet. III 27 vapulat Syrus, quod in s. 297 (287) p. 21, 17 nil habeat nisi aus der Natur des Bösen; sed revera ait: *ex eadem* sive *ipsa natura mali*, unde omnis pravae interpretationis exprobratio corruit. Quae p. 26, 28 leguntur, ignarus tritissimae de vocabulo ܐܠܗ componendo legis vertit: er ist Gott und Gottes Sohn eaque eine absurde Combination esse dicit; quid Syrus velit v. ad sent. 376. Ut maioris loci exemplo utar, exhibeo, quae II 18. 19 nos docet: Anderwärts ergeht sich der Syrer nach eigenem Geschmack in einem eben so langen als ungesunden und trivialen Gerede. So ist zu lesen: Ein großer Geist braucht einen großen Träger; ein großer Geist ist derjenige, welcher sich um das Kleinliche gar nicht kümmert; ein großer Geist ist derjenige, welcher all das Sichtbare verachtet. Vor dem großen Geist des Scharfsinnigen hat man sich sehr zu fürchten; derjenige aber, welcher seinen Scharfsinn übel verwerthet, der versündigt sich gegen die Gnade Gottes. *Insana* talia esse concedi potest; at non Syrus est culpandus. Sermo est de *μεγαλοψυχία* (de vocabulo cf. Anal. 173, 20), de qua quid doceatur collatis locis Graecorum similibus illustrari potest. Ait igitur p. 9, 4, App. *ο. π.*: Selbstachtung (Achtung der eigenen Würde) bedarf großer Bemühung (*περὶ μεγάλα* [*ἐστίν*] Arist. Eth. Nic. 4, 3, 1); wenn der Mensch auf Selbstachtung verzichtet, leidet er Einbuße (fere: *ὁ δ'* [*ἑαυτὸν ἀξιῶν*] *ἐλαττόνων ἢ ἄξιος μικρόψυχος* ibid. 7); Selbstachtung ist diejenige, welche von Rechtlichkeit untrennbar ist (*τὸν ὡς ἀληθῶς ἄρα μεγαλόψυχον δεῖ ἀγαθὸν εἶναι* ibid. 14); Selbstachtung ist diejenige, welches alles Erscheinende (cf. *τὰ πεφυκότα* Stob. Eth. 2, 7 p. 106 Heeren) verachtet (*τῆς* [*τιμῆς*] *παρὰ τῶν τυχόντων καὶ ἐπὶ μικροῖς πάμπαν ὀλιγωρήσει* Eth. Nic. 4, 3, 17; *παρρησιαστὴς διὰ τὸ καταφρονεῖν* ibid. 28; cf. 30; *ἔτι δοκεῖ μεγαλοψύχου τὸ καταφρονητικὸν εἶναι* Eth. Eud. 3, 5, 6; *τὸ ὀλίγωρον τοῦ μεγαλοψύχου μάλιστ' εἶναι πάθος ἴδιον* ibid. 7. cf. Senec. Ep. 74, 13). Vor übermäßiger (propr. hitziger: *ὑπερβολὴν* Aristotelicam significat) Selbstliebe (*χαυνότης* Aristoteli est) hat man sich zu hüten (nam *ἀνάγκη τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν περὶ μέσ' ἄττα εἶναι* Eud. 2, 3, 3); wer sich übermäßiger Selbstliebe übel befleißigt, ist ein Undankbarer (quia etiam honorem sibi tributum maioris appetens nihili facit). Vides omnia satis sana nec tali medico opus esse. Etiam ubi verba non perperam intellecta sunt, de sententiis sinistre iudicans Syrum pravae interpretationis insimulavit. Quae p. 12, 25 leguntur, respondere II 17 opinatur sententiis 41—43 (36. 37), dum recte respondent s. 78. 79. Quae p. 18, 26 leguntur, II 15 in animum inducit 'decolorem' nobis tradere sent. 228 (219); revera respondent sententiae 229 (220) et illa 228 bene redditur 5, 1. Quae p. 29, 25 leguntur, III 25 dicuntur 'detorta' esse e sent. 259 (250); sed haec integra exhibetur p. 19, 26 et verba illa ad s. 258 pertinent. Ea,

sita est, quod de collectionis Graecae ambitu et partibus nos certiores faciunt. Non solum Rufino fidem addunt, sed docent etiam librum aliquando fuisse ditiorem; nam tantum abest, ut ipsis Syris interpretibus ea quae plura praebent tribuenda sint, ut magnam partem vel hodie Graece apud Porphyrium et in gnomologia Parisiensi cum ipsius Sexti dictis coniuncta monstrari possint. Cum igitur haec in Graeco codice a Syro adhibito exstiterint necesse sit, idem etiam de reliquis plurimis sumendum erit.

---

quae habes p. 22, 17 et quae sententiam 324 (313 = 315) referre vult, 'alienissima' iudicat III 37 (aus der antiken Sphäre wird Sextius in auffälliger Weise durch folgende Wendung herausgestellt); non vidit, ea ipsius Sexti sententiam 397 (381 = 383) simpliciter reddere. Quae in appendice 28, 14 leguntur, 'exsanguem' (bedeutungslose Zusammenschrumpfung) III 10 vult esse imaginem sententiae 413 (396 = 398); sed prorsus alia sententia est et sent. 413 uterque Syrus iusto loco p. 7, 23. 23, 28 bene interpretatus est. Ita etiam quae in appendice 28, 10 inveniuntur prorsus diversa II 17 'frigide compensare' (mattes Surrogat) sententiam 422 (402 = 404) putat; sententiam 432 (409 = 411) 'male transformatam' II 26 legi vult p. 8, 5; sed hic in appendice (vid. infra p. 77) verba longe alia Ἀγωνιζόμενος κ. τ. λ. subsunt. Quae p. 4, 13 legimus, ex pluribus Sexti sententiis 177 (167) et 37 (33), quarum haec ne quadrat quidem, conflata II 14 putat; sed aliud constituunt dictum Graecum, quod vid. ad s. 177. Sent. 148 (140) a Syro 'consulto eiectam' iudicat II 23; legitur suo loco p. 15, 24. Spuria clamitat, quae vel maxime genuina sunt. 'De suo ut Sextio quasi obloquatur' (aus seinem Kopf, in einer Art von Opposition gegen Sextius III 14) Syrum p. 27, 8 quaedam adiecisse perhibet (eaque pessime intellecta), quae sententiam 384 (368 = 370) hoc suo loco exhibitam accurate reddunt. II 13. 14 non sine solita obiurgatione Syrus perhibetur in verbis p. 13, 2. 3 binas ex quinis sententiis diversissimis permistis confecisse; oculos si aperuisset, apud Orellium suum I 581 vel Lasteyrium p. 263 invenire poterat, has (infra 81. 82) ab editionibus Latinis minime alienas esse. Idem valet II 27 de sent. 365, apud Orellium I 601 exhibita. Contra quae revera a Syro addita sunt, ut sent. 111[a] p. 14, 14, putat reddere sententiam 112, quacum ne minimam quidem cognationem habet. Sed haec sufficiant; unum addo: fere nunquam locum paginarumque et versuum numerum indicari, qua re fit, ut in tanta errorum colluvie saepe non sine labore effici possit, unde hausta sint, quae Syro tribuerentur. Ita nonnulla commonstrari omnino nequeunt; e. gr. *filii mortis* II 28, qui nusquam apud Syros exstant, cuinam alucinationis generi originem debeant, mihi ut detegerem non contigit.

Sed et aliud apud Syros additamentorum genus est, appendices dico, de quarum origine difficilius iudicandum est. Continent et ipsae sententias nobis Graece servatas et nonnullas quidem Sexto vel certe vel probabiliter (quia in gnomologia Parisina leguntur) ascribendas, unde verisimile est eas a Graecis Syrorum codicibus non alienas fuisse. At primae cuiusque in utraque parte appendicis ratio satis singularis est: constant eisdem viginti sententiis eodem ordine positis, duorum interpretum manu Syriace versis, at dispersis inter alias sententias inter se prorsus diversas, quarum interpres alter triginta fere, alter viginti fere (et in his γ—ξ duodecim continuas de uxore et liberis, in nonnullis sed non in antiquissimis codicibus omissas) addit et in quibus sunt tum Sextianae, tum Graecanicae, quin etiam una, quae alias non superstes apud Ioannem Damasc. ipsi Sexto tribuitur. Singula p. 77—84 ita disposui, ut facillime sub oculos cadant.

Praeterea in fine partis primae p. 10, 12—21 altera legitur appendix, quam, cum a priore per seriem duodecim Sexti sententiarum supra omissarum separata sit, ab illa prorsus alienam neque etiam Graecae originis esse arbitror; imprimis quae in usu vocabuli ܐܕܝܩܘܬܐ ambiguitas inest Semitam prodere videtur auctorem. Eodem modo in fine partis secundae p. 29, 15—30, 8 plura exstant, quae quidem cum appendici priori nullis verbis interiectis adiuncta essent ad hanc pertinere putares. Sed ab ea quodammodo differunt; sunt enim sententiae continuae de deo uno eoque solo colendo, quas tutius erat appendicis alterius nomine appellare. Nihil obstat quin has Graece conscriptas fuisse statuas; similia de deo effata e philosophis Graecis colligere nihil est negotii; una sententia Graece in gnomologia Parisiensi invenitur; alia ad Sextianam prope accedit. Tandem quae in parte tertia p. 31, 1—10 habentur sententiae praeter ultimam omnes cum Sextianis comparari possunt, etsi pleraeque non ita cum eis conveniunt, ut certo de origine statui possit. Etiam tria haec fragmenta Latine exhibentur p. 84—86.

Propter comparationem cum Rufinianis commodius instituendam in transferendis Syriacis Romana eligenda fuit lingua neque Latinorum vocabulorum *fidei* cet. usus is, quem eis Christiani dederunt, aspernandus. Hoc tamen diligenter spectavi, ut, ubi in eadem sententia vertenda Syri vocabulis

non eisdem usi sint, et ipse alia ponerem, quo interpretum diversitas statim percipi posset.

Graece, quanquam Sexti liber ipse aetatem non tulit, multae tamen singulae sententiae vel eadem vel simillima forma hic illic apud alios scriptores servatae exstant. In superstite parte epistulae a Porphyrio ad Marcellam datae circa quinquaginta quatuor praeter nonnullas a Syris traditas leguntur, quas maximam partem iam statim post inventum a Maio libellum Orellius a. 1819 et Taylor in *Class. Journ. June 1820 XXI, 266—270* indicarunt. Has Porphyrium non ex alio fonte, sed ex ipsa tali qualem Rufinus transtulit collectione sumpsisse inde colligendum est, quod plures saepe eodem ordine coniungat, quo in ipso opusculo dispositae sunt. In capite IX leguntur 205. 207. 208. 202, in cap. XII 113. 114. 122. 124. 125. 126. 128. 127, in cap. XIII 134. 136. 143, in cap. XIV 152. 165. 165ᵃ. 165ᵇ, in cap. XV 351. 352. 356. 359. 360. 366. 376, in cap. XVI 381. 402; 304. 305. (309.) 313. 312; 416. 417. 418. 422. 424. 426. 427. 428. Alias vel easdem praebent florilegia. Stobaeus quas habet plerumque ad Pythagoram refert; haud paucae insunt in gnomologiis, quae Pythagoreas se esse perhibent, apud Demophilum dico et Pythagoram illum Syriacum, quem Lagardius in *Anal. Syr.* p. 195—201 edidit et qui Graece quantum fieri potuit restitutus est in annalibus philologicis *Hermae* nomine inscriptis IV 1869—70, p. 81—98; nonnullarum vestigia sunt apud Hieroclem et Iamblichum. Imprimis in censum veniunt Maximus (ad cuius codices duos respectus habendus est, alterum ab initio mancum a Combefisio in *Opp. Maximi Par. 1675. fol. II 528—689* editum, Gesneri alterum, qui, cum in prima editione *Sententiarum per Antonium et Maximum collect. Tur. 1546. fol.* et magis etiam ad calcem Stobaei ab eo male cum Antonio permistus et confusus sit, antea restituendus est e versione Ribitti Latina ab eodem Gesnero ibid. eod. anno edita et praeterea in Bibliothecis Patrum — quod miror virum doctum haud unum fugisse — repetita), Antonius, atque interdum Ioannes qui fertur Damascenus. Messem praebent etiam Georgides a Boissonadio in primo tomo *Anecdotorum Graecorum 1829* p. 1—108 editus, minora gnomica, quae idem in tomo illo p. 113—120. 121—126 et III 465—474 in lucem protulit, Flo-

rilegium quod dicitur Monacense (cuius, quod in transitu indico, sententiae 1—8. 14—16 eodem ordine Latine inter ea leguntur quae Evagrii libello *περὶ τῶν ὀκτὼ λογισμῶν* adiuncta vetus interpretatio praebet in Bibl. Patrum max. Lugd. XXVII, 98 sive apud Gallandium VII, 577 edita) et Excerpta Vindobonensia, quin etiam Arsenii Violetum, in quo priora repetuntur. Sunt quoque, quae inter varia septem sapientum dicta reperiantur, una alterave cum Isocrate et Democrate, qui fertur, convenientes. Tres diserte ex Sexto laudat Origenes, duae apud Clementem Alexandrinum commonstrari possunt; etiam ad Nilum, Agapetum, Basilium, Gregorium Nazianzenum recurrendum est. Evagrii Rufini aequalis sententiae, si integrae superstites essent, plures fortasse praeberent. In parvo libello, qui *πνευματικαὶ γνῶμαι κατὰ ἀλφάβητον* inscribitur, edito in Gallandii Bibl. Patr. VII 574 et antea a Suaresio inter opera Nili 1673 p. 548 sqq., invenitur n. 22 sent. 141 *Φιλῶν κ. τ. λ.*, in altero huic iuncto (*ἕτεραι γνῶμαι*) n. 6 legitur *Δεινόν ἐστι πάθεσι δουλεύειν σαρκός* cf. sent. 75 et n. 26 *Ὁ φοβούμενος τὸν θεὸν* (*electum dei* habet Rufinus s. 430) *κατὰ θεὸν πάντα ποιεῖ. Εὐεργέτης μετὰ θεὸν* cf. sent. 176 legitur in s. 21, cuius reliqua verba vix sana sunt. Tandem inveniuntur, quae vix aliunde atque e Proverbiorum libro et evangelistarum effatis ducta habebis.

Sed revera etiamnum exstat Sexti epitome Graeca, etsi eius nomine non insignita, eam dico syllogen, quam addito indice *Γνῶμαι σοφῶν* e cod. Paris. 1630 Boissonadius edidit in Anecdotorum t. I p. 127—134. Rem non dubitabis, si perspexeris, inter 93 sententias, quas continet, 59 apud Sextum aut Latinum aut Syriacum inveniri, easque maximam partem eodem ordine dispositas esse, quod omnino fieri non potuit, nisi fere eodem modo atque codicis Salmasiani et Syri I epitomae ex opere excerptae fuerint. Accesserunt quidem alienae 34 atque ita, ut primis 42 Sexti sententiis immistae septem tantum sint et posteriori demum parti reliquae plures. Quod ut conspiciatur, tabulam propono hanc, in qua sententias prioribus inspersas transscribam totas, inde a p. 132 autem alienarum numerum tantum indicabo: (*p. 127*) *Ἕπου θεῷ. Γνῶθι σαυτόν.* 49. *Εὐσεβὴς οὐχ ὁ πολλὰ θύων ἀλλ' ὁ μηδὲν ἀδικῶν* 144. (*p. 128*), 57. 190. 50. 93. 24. 113. 114. 120. 128. 142. 152. (*p. 129*). 153. 154. 156. 157. *Ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ*

πατρίς. 159. 161[a]. 162. 163. 164[b]. 164. (*p. 130*). 165[c]. 165[d]. 168. 169. 246? App. 10 (9, 12 = 28, 23). 177. 177[a]. *Ἄρχεσθαι μὴ μαθὼν ἄρχειν μὴ ἐπιχείρει.* App. 18 (9, 21 = 29, 9). (*p. 131*) 186. App. 2 (8, 6 = 25, 13). App. a (25, 15). *Βασιλέα φρόνησις, οὐ διάδημα ποιεῖ.* 182. App. k (25, 30). 176. 10. App. t (28, 12). 240. *Φιλοπονία φύσιν διορθοῦται· ῥαθυμία φύσιν ἀπόλλυσιν.* 75. *Οὐκ ἔστιν ἐλεύθερον εἶναι κρατούμενον ὑπὸ παθῶν. Ὕπνον προσίεσο διὰ τὸ ἀναγκαῖον.* (*p. 132*) *Undecim, inter quas* 268[a] *esse videtur.* 270. 265. (*p. 133*) *Duae.* 295. 299. *Duae.* 343. 112. *Duae.* 345. *Una.* 385. 387. (*p. 134*) 399. *Duae.* 409. *Quinque.* 325. 436? 424. Syr. 30, 4. 53.

Sententiis igitur longe plerisque apud Graecos Sexti nomen non additur; nonnullis tantum, quae denarium numerum vix excedunt, praescriptum est apud Maximum et Antonium, in quibus edendis Gesner plura admisit peccata, corrigenda ex erratorum indice et Ribitti versione, apud Ioannem Damascenum, Georgidem et in Excerptis Vindobonensibus; sed constat lemmatis iam in veteribus codicibus confusis magnam fidem habendam non esse. Vel pluribus, quas apud Rufinum habemus, apud illos etiam alia nomina ascripta sunt, Clitarchi, Pythagorae, Democriti al. Contra Sexto tribuuntur sententiae, quas frustra apud Rufinum et Syros quaeres; tales iam olim sed non omnes collegerunt Siber p. 86 et Orellius I 246. Idem facere sibi visus est Mullachius *Philos. Gr. Fragm.* II 116 (postquam I 522 Orelliana transscripsit) et hic quidem iudicio parum usus, qui quas post Sexti sententiam aliquam in Excerptis Vindobonensibus sine nomine positas videret sententias toto coelo a Sexti ingenio alienas nullus dubitaret ad Sextum referre. Quae huius generis sunt infra in unum locum composui.

In comparandis sententiis Graecis cum Latinis et Syriacis praeter eas, quae prorsus conveniunt, ratio non solum earum habenda fuit, quae paucis tantum verbis mutatis eas referunt aut arctius cognatae sunt, sed etiam earum, quae, quanquam longius remotae videntur, aut diserte Sexto tributae sunt aut in serie Sextianarum apud Porphyrium et Boissonadium inveniuntur. Etsi priorum editorum collectanea augeri potuerunt, in tali re tamen vix est, ut omnia, quae alicubi exstent, se agnovisse aut invenisse quis affirmare possit.

Arduam de **libelli origine** quaestionem attingere magis, quam decidere in animo est, id quod rite nisi antea scripto in singulas sententias commentario accurato fieri non potest. Ex ipsa opusculi forma pauca tantum effici possunt. Certo consilio sententiae dispositae non sunt; hoc tantum perspicitur, interdum eiusdem argumenti sententias plures iunctas esse: de usu linguae 151—165, de affectu 204—209, de coniugio 230—240, de cibo 265—270. de morte 320—324, de sermone de deo faciendo 350—362. 365—368, de cultu dei 369—375, de beneficentia 377—379, et saepius duas idem rerum genus spectantes iuxta positas esse, ut interdum num unam efficiant dubitari possit, ut in s. 58. 59, quae redeunt 221. 222. Inter geminas aliquoties insertae videntur, quae ad priorem explicandam valerent, ut inter 248 et 251. Occasionem aliam alii subiungendi praeterea dedit, ut in eiusmodi generis libris usus etiam alias fert, vocabulum utrique commune, ut *tyrannus* 363. 364, *vivere* 254. 255, *filius* 254. 256. 257, *obtrectatio* 278. 279, *laus* 298. 299, *passio* 204—209. Prae ceteris offendit repetitio sententiae prorsus eiusdem, ut 3 et 376, 59 et 222, 92 et 405, 144 et 418 cf. 55, 199 et 333, 407 et 451 aut tam similium, ut ex eadem variatae esse videantur, ut 24 et 97, 33. 34 et 176, 48 et 381, 56 et 344, 58 et 221, 64 et 189, 74 et 166, 217 et 376, 244 et 319, 346 et 449, fortasse etiam 49 et 382, 190 et 450. Quod ut explicetur statuendum est, aut collectionem olim breviorem ab aliis postea amplificatam esse, id quod ex singulorum dictorum distributione vix probabile reddes, aut scriptorem satis neglegentem non id spectasse, ut librum ut ita dicam rotundum congruentem bene dispositum perficeret, sed sententias, quae sibi placerent, vario tempore prout legerit corrasas in chartam coniecisse. Neque certae disciplinae philosophicae addictus fuit: dum Stoicorum illud peculiare docet, peccata omnia aequalia esse (297), eorundem placita de morte voluntaria commendanda, de misericordia vitanda (ἐλεήμονας μὴ εἶναι σοφούς) disertissime et planissime impugnat (321. 338). Magnam quidem ut dixi partem sententiae ex eis sunt, quibus colligendis delectabantur, qui Pythagorae se gesserunt imitatores posteri; Pythagoricus imprimis est locus de animalium esu vitando 109 et nonnulli de deo dicti.

Altera autem ex parte vestigia doctrinae Christianae ad-

esse negari non potest. Mentio illa *novissimi quadrantis* 39 Matthaei evangelio tam peculiaris est, ut ex eo non sumpta esse omnino non possit. Quae 60 leguntur verba *potestatem accipiet a deo esse filius dei* referre videntur locum evangelii quarti 1. 12 *ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι.* Eo pertinent 193 coll. cum Mt. 19, 23, 233 coll. c. Mt. 5, 28, 242 coll. c. Mt. 10, 8, 336 coll. c. Mt. 20, 28 (*διακονηθῆναι*), pertinent imprimis vocabulorum notiones Christianis propriae, ut *fidei* et *fidelis* (etsi fere omnia intelligi possunt de *πίστει*, religionis elemento apud Porphyrium ad Marc. c. 24, quae est *πιστεῦσαι, ὅτι μόνη σωτηρία ἡ πρὸς τὸν θεὸν ἐπιστροφή*), *verbi dei* 24. 264. 277. 413. 420. *iudicii* 14. 347, *angeli* 32, *saeculi* 15. 19. 20. etiam *electi* 1, *salvandi* 143; germanum Zionis custodem clamare tibi persuadebis, si legis s. 196 *ne putes bene vivere qui non integre credit; prophetae veritatis*, de quo multi sunt libri Clementini, memoriam affert s. 441, quanquam in contrarium fere dicta. Sed res cautionem habet. Alia quae e libris sacris petita esse visa sunt, Graece potuerunt dici, e gr. quod in mentem revocat locos 2 Cor. 5, 1. 2 Petr. 1, 14 *tabernaculum σκῆνος* s. 320, tribuitur Democrito ap. Stob. 1, 39. 10, 66 et in deliciis est eis, qui Pythagorei esse voluerunt, Theagi Stob. 1. 67, Euryto Clem. Al. Strom. V. 29 p. 602 P., Timaeo Locr. pluries, ut alios taceam. Graeca quae supersunt verba docent sententias 13. 273 non e Mt. 18, 8 fluxisse, ad quem referre posset, qui Latina solum legisset. Deinde fieri potuit, ut interpretes Christiani inconsulte atque ex inveterata consuetudine Graeca non in Latinum solum et Syriacum sermonem, sed etiam in Christianum sibi familiarissimum transferrent. Atque id revera factum esse imprimis ex usu vocabulorum *fidei* et *fidelis* demonstrari potest. Graece teste Porphyrio et aliis, etiam Pythagora Syro, in s. 402 fuit *ἀρετή*, apud Rufinum et Syr. I est *fides;* at cum alter Syrus praebeat *veri cognitio*, certum est apud Sextum hic non lectum fuisse *πίστις*. Pro *σοφός* 49, *ἀγαθός* 189, *θεοῦ ἄξιος* 5 Rufinus et Syrus praebent *fidelis*, pro *ἀμαθής* 400 *infidelis;* pro *ἀνθρώπῳ* apud Porphyrium, *homine* apud Rufinum 304 Syrus habet *fidelem*. Ubi Graeca desunt, idem inter interpretes discidium est; in sent. 209. 247. 384. 434 apud Rufinum est *fidelis*, apud Syrum *iustus* aut *sapiens*; contra 436 apud Syrum *fidelis*, apud Rufinum *sapiens*. *Virtuti* Syri 332 Rufinus

substituit *fidem.* Addita voce *fidelis* a Rufino discedit Syrus 402. 441. Haud improbabile est vocem *fidei* in s. 166 positam esse pro λόγῳ in eadem sententia, qualis 74 legitur, nisi illam iam a Graeco homine variatam esse malis statuere. At quanquam praeterea loci sunt, in quibus vulgaris apud Romanos *fidei* notio valeat (170. 188. 200), in multis nisi e mente scriptorum ecclesiasticorum intellegi non potest; *fidelis* s. 234 vix erit, nisi qui Christianus factus est, nec aliud admittunt 1. 6. 7. 8. 331 cet. Eodem modo in s. 136 *carnem*, more loquendi sibi usitato nec tamen a Graecis alieno (v. Porph. ad Marc. c. 29. 30) substituit verbo σῶμα Rufinus (Syrus habet *homo*). *Verbum dei* praebent Rufinus et Syrus 24, ubi Graece ἔννοια θεοῦ legitur. Christiani interpretes tres *operibus*, quae apud Graecos nominantur, 426 substituunt *mentem,* quasi Paulinae doctrinae nimis memores. Ut de *homine dei* 2. 3. 133 revocemur ad 1 Tim. 6, 1. 2 Tim. 3, 17, non omnino necessarium est; vocabulum Rufino, qui eo utitur in dedicatione libri II De Benedict. Patr., non insolitum erat, atque ubi Graeca et Syriaca verba comparari possunt legitur *homo deus.* Atque ita non ab omni probabilitate abhorret, Rufino, si e. gr. legeret qualia apud Porphyrium ad Marc. c. 11 exstant θεὸς θεοῦ δίδωσιν ἐξουσίαν, verbum Ioanneum ἔδωκεν ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι se obtulisse. Haec congessi exempla ut monerem, quam lubrica et anceps sit eius rei disceptatio, quamdiu de Graecis Sexti verbis maneamus incerti.

Quae apud veteres de collectionis auctore tradita sunt, et ipsa rem non conficiunt. Primus qui disertam 'Σέξτου γνωμῶν' mentionem circa a. 250 iniicit Origenes, cum eas etiam a multis Christianis legi et a multis probari perhibeat, non dubium esse potest, quin eas philosophi Graeci opus esse censuerit. Neque Porphyrius paulo post, si libellum a Christiano profectum putasset, eo ita usus esset, ut magnam sententiarum copiam tanquam doctrinae suae genuinam nuntiatricem ne significato quidem alieno fonte epistulae suae insereret. Hieronymus, qui Sextum primum anno 392 ante editum Rufini opus medias inter Senecae sententias laudaverat, etiam postea fortiter defendit, hominem fuisse *gentilissimum* eumque Pythagorici nomine ornat. Quod num ei praebuerit voluminis quale ferebatur index, dubitari potest, nam quod addit librum maxime ab his, qui ἀπάθειαν praedicent,

legi (dummodo in his fidem habet) non quadrat ad Pythagoreos huius doctrinae minus studiosos (Zeller *Philos. d. Griech. III², 2, 123*), nec facile intellegitur, qui, si vulgaris libri inscriptio Pythagoreum nominasset, fieri potuerit, ut Sextus mox Christianus perhiberetur. Veri similius est, Hieronymum cognomen sua sponte addidisse eique Sextum Pythagoricum eundem fuisse, quem in chronico ad olymp. 195, 1 Eusebium (*Σέξτος φιλόσοφος Πυθαγορικὸς ἤκμαζεν*) secutus recenset, quanquam ad hunc referri non posse librum, in quo evangelii Matthaei ratio habetur, apparet. Tandem Maximus et qui eum secutus est Antonius Sexti dicta medias inter philosophorum sententias exhibent, ut hos quoque eum Graecis annumerasse certum sit.

Per multas provincias, si Hieronymo fides est, legebatur liber eiusque apud Christianos, quibus *δόκιμος* censebatur, teste Origene usus causam attulisse videtur, ut eum Christianae originis esse putarent et Sextum aliquem inter suos circumspicerent. Inciderunt in eum, qui a. 256—258 episcopus urbis Romae fuit, quem fama ferebat antequam nova sacra amplecteretur Athenis philosophiam docuisse. Nam hunc tantum neque Sixtum sive Xystum illum, qui circa annum 120 inter urbis Romae presbyteros primas partes egerat, spectasse potest Rufinus, cum eum *martyris gloria decoratum* dicat. Ille enim nece, quae aequalium et posterorum animos vehementer commovit, clarissimus est et martyris nomine a reliquis apte distingui potuit, hic autem neque (teste imprimis Irenaeo III 3, 3) martyr revera fuit neque probabiliter Rufini tempore martyr putatus est. Id enim satis demonstravit Cl. Lipsius (*Chronologie der Röm. Bischöfe. Kilon. 1869* impr. *p*. 43. 143. 221), usque ad a. 354 in episcoporum catalogis paucis tantum certisque nec tamen Sixto martyrii laudem tribui, quae demum medio saeculo quinto primum in catalogo, quem dicit Leoninum, in omnes fere translata sit. Si autem talia iam Rufini tempore credebantur, non erat, cur martyris gloriam in Sixto premeret. Ceterum caute Rufinus opusculum a Sixto episcopo scriptum esse *tradi* tantum ait, ita ut sibi rem constare ne verbo quidem significaverit; iniuriam ei subdole, qua erat animi malitia, fecit Hieronymus, qui eum, quasi prudens et sciens librum Sixto II affinxisset, differret. Testes esse nequeunt Pelagius, qui a Rufino pendebat, neque Augu-

stinus, qui librum antea Pelagium secutus episcopo, deinde Hieronymum secutus philosopho tribuit; is tamen veritatis parum studiosum se exhibuit, qui eadem, quamdiu ab episcopo profecta putaret, recte et prudenter dicta censeret, quae, cum philosophi esse comperiret, improbaret. Mansit tamen de pontifice auctore opinio; aliter vix Benedictus (cf. supra p. XXV) et Regulae Magistri scriptor sententias ita afferre potuissent, ac si ad sacras scripturas pertinerent, atque ea causa fuit, ut tam frequenter famosus ille decretalium falsarius eis uteretur, qua re factum est, ut veteris philosophi dictum 259 in quaestione de iure sacerdotibus dicendo gravissimum fieret. Difficultatem leviter et stupide Gelasius papa solvere conatus est, in celeberrimo decreto ex cathedra iudicans, librum sub Xysti nomine ab haereticis (Pelagium spectavit) conscriptum esse, at haud meliore iudicio usus qui fertur Isidorus, decreti Gelasiani gnarus et simul Augustino confisus, librum Xysto addicit, at ab haereticis adulteratum vult.

Eadem in orientali ecclesia invaluit opinio. Interpretes Syri, qui a Rufino non pendebant, *Xysti episcopi Romani* sive *sancti Xysti* nomen libello inscripserunt, ut supra dictum est p. XXXI. In Parallelis, quae Ioanni Damasceno vulgo addicuntur, Sexti sententiae plerumque locum obtinent medium inter locos biblicos et dicta patrum (II 362. 411. 656 cf. 420), id quod satis indicat etiam hunc scriptorem de episcopo Romano cogitasse.

Hoc igitur certum est, Sexti nomen omnes tueri; sed quis ille fuerit Sextus latet. Fuerunt, qui de Sixto I cogitarent, neque huic coniecturae opponi potest, nihil inveniri in sententiis de sacrificio missae easque cum catechismo Tridentino non convenire. Sed Rufini testimonium, si revera, ut ostendi, de Sixto II intellegendum est, non potest, hoc misso, ad alterum Sixtum traduci. Sextum quendam philosophum ecclesiasticum aliunde ignotum nominat Maximus in scholiis ad Dionys. Areopag. c. 5 II p. 55 ed. Corderii Antv. 1634, sed quae de illo tradit (*οὕτω καὶ Σέξτος ὁ ἐκκλησιαστικὸς φιλόσοφος εἶπε καὶ ὁ θεολόγος Γρηγόριος ἐν τῷ τρίτῳ τῶν θεολογικῶν αὐτοῦ, ὡς οὔτε ἡ θεότης οὔτε τὸ ἀγέννητον οὔτε ἡ πατρότης οὐσίαν σημαίνει θεοῦ*), a sententiis prorsus aliena sunt. Sextios Romanos in arenam inductos a Galeo (qui in altera editione etiam de Sexto Chaeronensi Platonico, M. An-

tonini praeceptore, cogitat atque quasi somnians sententias, de quibus agitur, apud Antoninum, Hermam et Clementem Romanum legi perhibet) et aliis explosit ZELLER l. l. III², 1, 602. Neque e reliquis, qui commemorantur Sextis (Zeller III, 2, 88; nescio an is, quem Eusebius ad Ol. 224, 3 una cum Plutarcho Chaeronensi commemorat, Chaeronensis ille fuerit) aliquis in quaestionem venire potest. Sed cum nullus eorum tantae fuerit auctoritatis, ut eius nomine librum fingere operae pretium esset: quid obstat quominus statuas, sententias revera collectas esse a Sexto quodam, de quo nobis nihil traditum esse non est quod mireris. Quisquis autem fuerit, eum non id egisse ut Christianorum placita commendaret, sed ut philosophorum consilia traderet, sentiet, ni fallor, quicunque indicem a me primo loco positum uno tenore perlegerit.

Comparatis quae supersunt reliquiis certum fit, duas, nisi forte plures, opusculi ad variandum et immutandum per se aperti fuisse recensiones, alteram paulo ampliorem, quam Syri referunt et fragmenta Graeca, breviorem alteram, qua Rufinus usus est, nam hunc de industria omisisse sententias, quibus illa copiosior est, statuendum non videtur, cum argumentum nihil omnino offensionis habeat. Notabile tamen est, ex eis sententiis, quae in Christianae originis suspitionem venerunt, nullam (excepta fortasse 28) esse, quae Graece servata sit; quod nisi fortuitum est, de tertia inter ipsos Graecos divulgata et ab isto additamentorum genere libera cogitari licet. De his ut fidenter iudicemus non sufficiunt argumenta; hoc tamen ex eadem comparatione certum fit, summa iniuria Rufinum etiam a philologis, Galeo, Fabricio, aliis, etsi nullo documento allato, interpolationis et adulterationis sententiarum insimulari, abs quo crimine melius purgari non potuit nisi per interpretes Syros, quibus collatis dubium esse nequit, quin sua apud Graecos omnia invenerit et satis accurate verterit.

Rufinus libellum instruxit **prologo**, in duodecim codicibus et duabus editionibus servato et infra prorsus fere ad codicis **Q** fidem exhibendo, de quo aliquid dubitationis restat. Ac primum quidem praescriptio, qualem editiones praebent: *Rufinus Aproniano S.*, cum in nullo codice, ne in **J** quidem cum **c** arcte cognato, legatur, ab Abstemio et Rhenano ficta videtur ex ipsa epistula, in qua vocativum *Aproniane* inve-

nerunt, per se non ineptum, quia huic viro Rufinum alia opera dedicasse constat, sed reiiciendum, cum iusta lectio sine dubio sit. quam dedi, *Aproniana*[1]). Libri manu scripti plerique nihil praemittunt; at cum vocabulo *tua* Rufinus utatur. fieri non potest, quin nomen aliquod epistulae praescripserit. Revera in **P** invenitur *Rufinus Minisio* (voluit *Minicio*) et ad hanc lectionem referendum est, quod codices cum illo aliquantum cognati praebent: **S** in rubrica (cf. p. XXI): *praefacio ad Athanasium;* et **C**: *Rufinus* ꝓ *cio*, scripturae compendio alias prorsus inusitato usus. De viro autem huius aut similis nominis eiusque cum Aproniána necessitudine aliunde quantum sciam nihil constat.

Alterum dubium movent, quae in extremo prologo ait Rufinus, se addidisse *electa quaedam religiosi patris ad filium*. Locus quidem in optimo codice **Q** omittitur, sed, quae manifesta est, ea tantum de causa. quod qui additamentum describere aut noluit aut nequivit etiam mentione abstinere satius duxit; nam talia a librario conficta esse nemini probabile videbitur. Electorum autem horum in nullo codice vestigium est, neque hoc voluisse potest Rufinus. se ea interposuisse Sextianis sententiis. in quibus nihil illi descriptioni respondet neque omnino testibus Syris aliena immista sunt. Apparet hanc opusculi partem prorsus interiisse et quid continuerit ne coniectura quidem indagari posse. Coniectare tamen si liceret. cogitari posset de Evagrii aliquo libello quos plures Rufinum in Latinum transtulisse Hieronymi (ad Ctes. IV, 476 Mart., I 1028 Vall.) et Gennadii (c. 18. V, 31 Mart.) testimoniis constat. Vix enim si ipse sua sponte librum in puellae usum composuisset, religiosi patris ad filium loquentis personam induisset; alieno ergo opere usus est, eoque ut titulus docet ad monachicae vitae commendationem apto, cuius generis haud unum Evagrius scripsit. Iam quod Hieronymus ait Anulum Rufini ab iis maxime legi, qui ἀπάθειαν praedicent, in ipsum Sextum non quadrat et nisi confictum est, de

1) Nominis forma, quam G. Burlaeus supra p. XX praebet *Ayama* originem debuit similitudini cum littera *y*, qua interdum et revera etiam in cod. **C** vulgare syllabae *pro* compendium pingitur; conferantur figurae apud Waltherum in *Lex. Diplom.* col. 257 v. 4. 5. 10. col. 258 v. 1.

altera Anuli parte intellegendum erit; Evagrius autem non solum in scriptis quae superstita habemus, *impassibilitatem* monachis enixe commendat, sed diserte et acrius eius *περὶ ἀπαθείας* sententiae ab eodem Hieronymo (l. l. et in prol. IV in Jer. III 614 Mart., IV 966 Vall.) damnantur. Ita tandem intellegendum est, quod de libro in duas partes diviso Hieronymus tradit, atque apparet, Anuli vel Enchiridii nomen, quo totum opusculum Rufinus insigniri voluit, male ad solas Sexti sententias referri.

Libello tam parum composito ac digesto commode uti nemo potest, nisi plenis indicibus adiutus. Itaque ut etiam aliis consulerem indices duos, quos ut mihi conficerem opus erat, adiiciendos curavi, alterum omnes sententias novo secundum singularum argumenta ordine in certos locos dispositas complectentem, quo simul Sexti disciplina et doctrina in conspectum veniat, alterum praecipua uniuscuiusque sententiae vocabula exhibentem, quo facilius quae quaeruntur inveniantur. Illi obliquis litteris insertae sunt potissimae quas Syri praebent sententiae, quibus si Graece indagari potuerunt, litterae *Gr.* additae sunt, in hunc recepi Graeca quaeque e fragmentis verba, quae Rufinus Latine reddidit.

Sententiae praeter Latinas et Syras apud Graecos Sexto tributae.

1. *Δύο ἀφορμαὶ κινοῦσιν ἄνθρωπον εἰς θεοῦ ἐπιμέλειαν· τιμωρία δυσσεβείας καὶ γνώμης ἀσεβοῦς ἀμοιβαί.* Maximus [1]) c. 68 apud Ribittum ascribit Democrito; apud Combefisium et apud Antonium I 68 Sexto tribuitur, sed cum sententia sequens potius Sexti sit, male.

2. *Ἐπὶ γυναικὶ πονηρᾷ καλὸν σφραγίς.* Sexti apud Max. 39. Combef. et Armen. p. 35; Antonius II 34 et Max. Rib. sine nomine praebent. Siracidae est 42, 6, cuius inter sententias revera apud Antonium legitur.

3. *Θυσία τῷ θεῷ γνώμη ἀγαθή.* Sexti apud Io. Damasc. π, 9 et Georgidem p. 47.

4. *Μόνου τοῦ λαχόντος τὴν* [*ἀρετὴν* inseruit Boissonadius] *τὸ πρὸς ἀξίαν εἰδέναι ταύτην ἐστὶν ὑμνεῖν· ἣν γὰρ οἶδεν ἐπαινεῖ καὶ ἥνπερ ἔγνω τεθαύμακεν.* Sexti Georg. p. 60.

5. *Μυστήριον ἐν φιλίᾳ ἀκούσας ὕστερον ἐχθρὸς γενόμενος μὴ ἐκφήνῃς· ἀδικεῖς γὰρ οὐ τὸν ἐχθρὸν* (*τὸν φίλον* melius me iudice legit Arm.) *ἀλλὰ τὴν φιλίαν.* Sexti nomen addit Max. c. 6 Rib., Armen. p. 19; nullum indicant Exc. Vindob. 46 et Boiss. I 125, qui aliud Sexti dictum praemittunt, et Ant. I 25.

6. *Ὁ διαβαλὼν* [*ἐνδιαβάλλων* Comb. 'al. *διαβάλλων*' Gesn. in varr. lect.] *φίλον μὴ εὐδοκιμείτω, κἂν ἀληθῆ λέγῃ.* Sexti ap. Max. 10 Rib. et Comb. et Ant. I 53.

1) Cum Gesner, ut iam p. XXXVIII dixi, rem turbaverit, quid Maximus vere habeat efficiendum est e codicibus, altero Gesneri qualis latine a Ribitto in secundo volumine Sententiarum Maximi et Antonii Turic. 1546 f. exhibitus est, altero Ballesdensiano, quem Combefisius edidit, primis octo capitibus mutilato, qui num revera sit Coislinianus n. 372 p. 579 apud Montefalconium dubium adhuc videtur. Tertium adiumentum peti potest ex Armenica epitome sententiarum Graecarum, a Mekhitari collegio e codicibus antiquis Ven. 1853 forma minima pp. 70 edita, quae paucis exceptis e Maximo sumpta est. Quae in codice Coisl. 371 Sexto ascribi ait Siber p. 87 neminem fallant; perverse Montefalconio usus est, qui in quibus capitibus Sextianae sententiae legantur indicat nec de singulis loquitur.

7. *Οἰκείων ζώντων μὲν ποιοῦ ἐπιμέλειαν, ἀπογενομένων δὲ δεῖ τὰ σώματα τῇ γῇ συμμεμίχθαι· τοῦτο γὰρ καὶ ὅσιον· οὐ γὰρ συνθάπτεται ψυχὴ τῷ σώματι. Μάτην οὖν ὁ πολὺς πόνος περὶ τὰς ταφάς.* Sexti ap. Max. 36 Comb. et Armen. p. 33; Ribittus habet sine nomine, sed antea praebet Sexti dictum, quod excidit apud Combefisium; Gesner inter Graeca non edidit.

8. *Οὐδὲν τῶν παρόντων ἐστὶ τερπνὸν εἰ μὴ τὸ μένον ἀεί.* Sexti Georg. p. 71.

9. *Οὔτε ἐν ἰχθύσι φωνὴν οὔτε ἐν ἀπαιδεύτοις ἀρετὴν δεῖ ἐπιζητεῖν.* Sexto tribuunt Max. 60 Comb. (apud Rib. hoc loco exulat sententia), Ant. I 9 et Io. Damasc. α, 24 Leq.; sine nomine praebent Max. 17. Rib. et Comb. et Io. Damasc. IV, 225 Mein.

10. *Οὐχ ὁ πλουτῶν, ἀλλ' ὁ μὴ χρῄζων πλούτου μακάριος.* Sexti ap. Georg. p. 70; sine nomine Max. 12. Floril. Monac. 87.

11. *Πενίαν φέρειν οὐ παντὸς ἀλλ' ἀνδρὸς σοφοῦ.* Sexti Ant. I 33. Pertinet ad Menandri monosticha 463 Meineke.

12. *Ῥᾷον παραινεῖν ἃ ποιεῖν ὑπῆρξεν ἀδύνατον.* Sexti vult esse Georg. 78; sed legitur in Aphthonii fab. 11.

13. *Σκεύη μὲν τὰ καινὰ κρείττω* [*κρείττονα* Max. Ant.], *φιλία δὲ ἡ παλαιοτέρα.* Sexti Georg. p. 82; sine nomine Max. 6. Ant. I 34.

14. *Τὰ ἡδέα κἂν μήπω παρῇ τέρπει ταῖς ἐλπίσιν.* Sexti sec. Georg. p. 91, Leucippi sec. Max. 38. Anton. I 5.

15. *Ὕπνον ἡδὺν καθεύδει ὁ ἔξω φροντίδος ἀνήρ.* Sexti Georg. p. 92.

16. *Φίλον ἕνεκα χρείας μὴ ἀγάπα· ἡ γὰρ τοιαύτη φιλία πρόσκαιρος καὶ ἀβέβαιος.* Sexto ascribit Ant. I 24; sine nomine, sed post duas Sexti sententias habet Max. 6 Rib. Unde sumpta sint, quae Migne in editione Antonii praebet: *φίλον μὴ αἱροῦ διὰ τὴν ὠφέλειαν* et *βραχεῖα* (pro *πρόσκαιρος*), non repperi.

17. *Φύσει τὰ νόθα γένη νόθον ἔχουσι καὶ τὸν τρόπον.* Sexti Georg. p. 94.

18. *Ψυχὴ ταμεῖόν ἐστιν, ἀγαθοῦ μὲν ἀγαθὸν, κακοῦ δὲ κακόν.* Sexti nomine ornat Georg. 100, sed est Demophili 4[b] et Pythag. Syri 92.

19. *Ὧν ὁ βίος ὑπὲρ τὰ ὁρώμενα, τούτων αἱ πράξεις ἐπαινεταί.* Sexti Georg. 107 [1]).

---

1) Omnino huc non pertinet *Γυνὴ μεγαλόφωνος καὶ γλωσσώδης*

Tabula editionum.

[Asterisco notatas ipse oculis usurpavi.]

1502. Fani 4. Edidit Laur. Abstemius. v. supra p. VII.

*1507. Lugd. 4. Edidit Symphorianus Champerius. v. p. VII.

*1514. Wittenburgi 4. Edidit Io. Langus. v. s. p. IX.

*1516. Basileae 4. Cum Aenea cet. ed. Beatus Rhenanus. v. s. p. X.

1518 m. Iul. Colon. 4. Impr. Henr. Novesius. v. s. p. XII.

*1518 m. Sept. Monast. 4. Impr. Theod. Tzwyuel. v. s. p. XI.

1518 m. Nov. Lovan. 4. Cum Catone cet. impr. Theodoricus Martini. v. s. p. XII.

*1520. Basil. 4. In Opusculis moralibus Frobenii. v. s. p. XIII.

1522. Colon. 4. Apud Conr. Caesarem. v. s. p. XII.

[1541. Par. 4. Editio hucusque dubia. v. s. p. VI.]

1552. Venet. 12. In Dictis pretiosis. v. s. p. VI.

*1574. Colon. 8. Edidit Lud. Hillessem. v. s. p. V.

1575. Par. fol. In Bibliotheca veterum Patrum ed. Margarinus de la Bigne. T. III.

*1589. Par. fol. In Bibliotheca sanctor. Patrum ed. idem. T. V col. 769—778.

1609. Par. fol. In Biblioth. Patrum.

Editio teste Ittigio de biblioth. et catenis patrum Lps. 1707. 8. p. 91 iuxta Brasichellani indicem [librorum expurgandorum. Rom. 1607] castigata, quod ita intellegendum videtur, ut in margine indicatae sint huius censurae.

1614. Helmestadii 8. *ΓΝΩΜΑΙ* Sive Sententiae de moribus non minus eruditae quam piae, Xysti philosophi, Laurentii Pisani et Thalassii episcopi, nunc primum seorsim editae, studio M. Ioannis à Fuchte. Impr. Iacobus Lucius. pagg. 96.

ὥσπερ σάλπιγξ πολεμίων εἰς τροπὴν θεωρήσεται. Sine nomine est apud Antonium II 34 et etiam in editione Stobaei Ff. 1581 f., in qua cum post dictum Sexto male addictum *Ἐπὶ γυναικὶ* (supra n. 2) legeretur, haec res Orellio fraudi fuit ut imprudenter etiam hanc sententiam Sexto tribueret. Sumpta est e loco in codicibus nonnullis Siracidae assuto 26, 27 sive 26, 18[9] Fritzsche et cum cod. Alexandrino concordat. Apud Antonium recte locorum e Siracida excerptorum ordinem claudit.

1618. Colon. fol. In Bibliotheca Magna veterum Patrum 14 voll. T. III.

1624. Paris. fol. In Bibl. M. Patrum. 10 voll.

1644. Paris. fol. In Bibl. Magna Patrum. 17 voll. T. V.

1654. Paris. fol. In eadem. T. V.

*1671. Cantabrig. 8. In Opusculis mythologicis, ethicis et physicis Graece et Latine [ed. Tho. Gale] sub titulo: Sexti Pythagorei Sententiae e Graeco in Latinum a Ruffino Versae et Xysto Romanae Ecclesiae Episcopo Falsò attributae. Cant. ex off. J. Hayes. 1670. pp. 12.

*1677. Lugd. fol. In Maxima Bibl. Patrum. 27 voll. T. III. p. 335—339.

*1688. Amst. 8. In Opusculis myth. cet. [iterum ed. Tho. Gale]. Ap. Henr. Wetstenium p. 645—646.

1693. Amst. 12. THEOLOGIAE | CHRISTIANAE | juxta Principia | Iacobi Bohemii | Teutonici | Idea brevis & methodica. Accedunt Sextii Pythagorei Sententiae. Ex typogr. Boetemanni s. a. pp. 66. Annum sumo e Fabricii Bibl. Gr. ed. Harles I 874.

*1725. Lps. 4. Ed. Urb. Gdfr. Siberus. v. s. p. XIV.

*1819. Lps. 8. In Opusculis Graecor. veterum sententiosis et moralibus Gr. et lat. coll. Io. Conr. Orellius. T. I. p. 247—268.

*1843. Paris. 8. Sentences de Sextius, philosophe Pythagoricien; Traduites en français pour la première fois, accompagnées de notes, précédées de la doctrine de Pythagore, de celle de Sextius, Et suivies de la vie d'Hypathie. Par le C[te] C.-P. de Lasteyrie. Pagnerre éditeur. pp. 304. v. s. p. IX.

*1860. Paris. 8. In Fragmentis philosophorum Graecorum coll. F. G. A. Mullach. A. F. Didot. I 523—531.

Veterum testimonia.

Origenes c. Cels. VIII p. 397 Spenc. (versus a. 250.)

Καὶ οὐκ ἀπιθανόν γε γενόμενόν με κατὰ τοὺς τόπους ὑπομνησθῆναι χαριεστάτης γνώμης ἣ καὶ οἱ πολλοὶ τῶν χριστιανῶν ἀναγεγραμμένῃ ἐν ταῖς Σέξτου γνώμαις ἐντυγχάνουσιν οὕτως ἐχούσης· Ἐμψύχων κ. τ. λ. (vid. sent. 109.)

Idem in Matth. 19, 3.

Φησὶ δὲ Σέξτος ἐν ταῖς γνώμαις βιβλίῳ φερομένῳ παρὰ πολλοῖς ὡς δοκίμῳ· Πᾶν μέρος κ. τ. λ. (vid. sent. 13). *Καὶ*

πάλιν προβὰς ἐν τῷ αὐτῷ βιβλίῳ ἀφορμὴν διδοὺς ἐπὶ τὸ παραπλήσιον λέγει· Ἀνθρώπους κ. τ. λ. (vid. sent. 273).

Rufini prologus.

Scio quia, sicut grex ad vocem pastoris accurrit, ita et religiosus auditor vernaculi doctoris commonitionibus gaudet. Quia ergo karissime fili Aproniana religiosa filia mea, soror tua in Christo, poposcerat me, ut ei aliquid quod legeret tale componerem, ubi neque laboraret in intellegendo et tamen proficeret in legendo, aperto et satis plano sermone: Sextum in Latinum verti, quem Sextum ipsum esse tradunt, qui apud vos id est in urbe Roma Xystus vocatur, episcopi et martyris gloria decoratus. Hunc ergo cum legerit, inveniet tam brevem ut videat singulis versiculis ingentes explicare sensus, tam vehementem ut unius versus sententia ad totius possit perfectionem vitae sufficere, tam manifestum ut ne absens quidem legenti puella expertem se intellectus esse causetur. Omne autem opus ita breve est, ut de manu eius nunquam possit

Prologum (*ita vocant* **QUcr**, praefationem *rell.*) *omittunt* **AWw**. Rufinus Prb. Minisio **P**: Rufinus presbiter [illegible]cio **C**: Rufinus Aproniano filio S. P. D. **c**: Rufinus Aproniano suo s. p. d. **r**: *nihil praemittunt* **QLOVBJSMGU**.

1 quoniam grex **Jc**: grex sicut **G** | pastoris **QP**: proprii pastoris **LOVBJSCMGUcr** | libenter accurrit **OVGr**: libenter occurrit **U** || 2 pastoris **BMJc** | admonitionibus **LBMJcr** || 3 Aproniana **LOPBJSCG**: Aproniane **Q**?**MUcr** *et* **L** *a sec. manu* | religiosa filia mea *om.* **Jc**: religiosa *om.* **LOPSBCM** | soror iam in Christo tua **LOPVBJSGUMr**: soror iam tua in Christo **C**: *om.* **c** || 4 poposceras **B** | me **Q**: a me *rell.* | ei *om.* **CGU** || 5 laboret **J** | intellegendo **LOPVBJC** | tam **V** || 6 profiteret **QP** in *om.* **OPBSC** | et tamen proficeret in legendo *om.* **cr**: laboraret in legendo et (tamen **U**) proficeret intellegendo **GU** | aperte **V** | et aperto et satis **U** | satis *om.* **PSc** | ac **B** || 7 Sixtum **Gr**: Sixtum Pythagoricum **c** | converti **P** | Sixtum **Gcr**: Syxtum **P** | ipsum *om.* **OPSC**: episcopum **c** | esse *om.* **GU** | apud nos **MJc** || 8 id est **QLVBU**: idem **OJSGr**: *om.* **PCMc** | Romana **LOPBMJcr** | Xystus **QO**: Syxtus **LPVBJSM**: Sixtus **CGUcr** | episcopus **G**: et episcopus **U** || 9 decorus **G** | Hunc vero **LJMGcr** invenit **S**: tam br. inveniet **C** || 10 versibus **LOPBJSCMcr** | explicari **JSCUMcr** || 11 vehementer **O** | unius **Q**: ut (*sic*) **C**: *om. rell.* | totius hominis **U** || 12 vitae *om.* **GU** | man.] maximum **c** | ne absens **Q**: ne assistens **LOPSCGU**: ne assis (*sic*) **JM**: nec assistens **VBr**: *om.* **c** | quidam **OB**: quid **M**: *om.* **C** || 13 puella **QG**: puellae *rell.* | expertae **O** || 14 enim **U** tam br. **GU** | est *om.* **PVBGr** | de *om.* **G**: a **U** | nunq̃. sit necesse rec. **SC**

recedere totus liber, unius pristini alicuius pretiosi anuli optinens locum. Et revera aequum videtur, ut, cui pro verbo dei terrena ornamenta sorduerunt, nunc a nobis ad vicem verbi et sapientiae monilibus adornetur. Nunc ergo interim habeatur in manibus pro anulo liber, paulo post vero in thesaurum proficiens totius servetur disciplinae bonorum actuum commonitiones de intimo suggesturus arcano. Addidi praeterea et electa quaedam religiosi parentis ad filium, sed breve totum, ut merito omne opusculum vel enchiridion si Graece vel anulus si Latine appelletur.

1 liber **Q**: hic liber *rell.* | unius pristini **Q**: ibi pristini **Vr**: unius **B**: *utramque vocem om.* **LOPJSCMGUc** | pretiosi anuli optinens l. **QLVBM**: pretiosi optinens anuli l. **Ocr**: pretiosi anuli optinet l. **PSCJ**: anuli optinens l. **G**: anuli l. optinet **U** || 2 cum **LB** || 3 sorduerunt **Q**: -rant *rell.*: -rint *a sec. manu* (*propter* cum) **L** | vobis **L** | ad invicem **JSU** || 4 et *om.* **SC** adornentur **Q** | ergo *om.* **J** | habetur **S** || 5 liber iste **C** | post *om.* **C** thesauris **SC** || 6 proficiscens *a sec. manu* **V**: proficens **C** | totius **QLOPBSCU**: totis **MJc**: totus **VGr** | serv. in corde *omnes praeter* **Q** | disciplinae bonorum actuum commonitiones **Q**: disciplinis et bonorum actuum communiones **MJc**: sermo disciplinae et bonorum actuum communio **PSC** | sermonis disciplinae et bonorum actuum communionis **LOB** *et* **V** *a prima manu, sed a sec.* sermones *et* communiones; *in* **L** *sec. m. voluit* communiones: *ita, sed* sermones *et* communionis **r** || 7 de — arc. *om.* **S** suggessurus **OPB** | *Post* arcano **Q**: Explicit prologus feliciter. | Addidi praeterea et electa (elata **S**) **OVBSU**: haec omnia. Addidi praeterea telata (*sic*) **P**: haec omnia reddidi. praeterea et electa **C**: Addidi et electa **LMJr**: Addidi et **c** || 8 totum] id tamen **U** || 9 vel *om.* **U** | vel anulus si latine **P**: vel si latine anulus **MJc**: vel latine anulus **LOVBGUr**: vel anulus vocetur si latine app. **SC** || 10 vocetur **U** | Vale *in fine addunt praescriptioni respondens* **PCr**

Hieronymus adv. Iovinian. I in fin. (IV, 192 Mart. II 318 Vall.) c. a. 392.

Unde et Sextus[1]) (v. l. Xystus) in sententiis, adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior.

Idem in Ezech. VI, 18 (III 821 Mart. V, 206 Vall.) a. 414.

Pulchre in Xysti Pythagorici sententiolis dicitur: adulter est uxoris propriae amator ardentior. Quem librum quidam in latinam linguam transferens martyris Xysti nomine voluit illustrare, non considerans in toto volumine, quod in duas partes frustra divisit,

1) Male Haasius e coniectura 'Sex*t*ius' edidit in Senecae operibus III 434.

Christi nomen et apostolorum omnino reticeri. Nec mirum, si gentilem philosophum in martyrem et Romanae urbis episcopum transtulerit, cum Eusebii quoque Caesariensis primum pro Origene librum Pamphili martyris vocabulo commutavit, ut facilius tali laudatore libros impiissimos *περὶ ἀρχῶν* Romanis conciliaret auribus.

Idem in Ierem. IV, 22 (III 632 Mart. IV, 993 Vall.) a. 415.

Miserabilis Grunnius, qui ad calumniandos sanctos viros aperuit os suum linguamque suam docuit mendacium, Sexti Pythagorei hominis gentilissimi, unum librum interpretatus est in latinum divisitque eum in duo volumina et sub nomine sancti martyris Xysti urbis Romanae episcopi ausus est edere: in quibus nulla Christi, nulla spiritus sancti, nulla Dei patris, nulla patriarcharum prophetarum et apostolorum fit mentio et hunc librum solita temeritate et insania Anulum nominavit, qui per multas provincias legitur et maxime ab his qui *ἀπάθειαν* et impeccantiam praedicant. Quomodo igitur dominus Iechoniam instar anuli de manu sua et digito se proiecturum comminatur, ita lectorem obsecro ut nefarium librum abiiciat legatque, si voluerit, ut ceteros philosophorum libros, non ut volumen ecclesiasticum.

Idem epist. ad Ctesiphontem (n. 43. IV 476 f. Mart. n. 133. I 1030 Vall.) a. 415.

Illam autem temeritatem, immo insaniam eius quis digno possit explicare sermone, quod librum Sexti (v. l. Syxti, Xysti, Xesti) Pythagorei hominis absque Christo atque ethnici immutato nomine Sixti (v. l. Xysti) martyris et Romanae ecclesiae episcopi praenotavit: in quo iuxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exaequant deo, et de eius dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur, ut qui volumen philosophi nesciunt sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla prophetarum, nulla patriarcharum, nulla apostolorum, nulla Christi fit mentio, ut episcopum et martyrem sine Christi fide fuisse contendat. Unde et vos plurima contra ecclesiam usurpatis testimonia. Fecerat hoc et in sancti Pamphili martyris nomine, ut librum primum sex librorum defensionis Origenis Eusebii Caesariensis, quem fuisse Arianum nemo est qui nesciat, nomine Pamphili martyris praenotaret, quo scilicet egregia illa quatuor Origenis *περὶ ἀρχῶν* volumina latinis infunderet auribus.

Augustinus de natura et gratia c. 64 (77). a. 415.

Quis item Christianus ignorat, quod beatissimum Sixtum (v. l. Xystum), Romanae ecclesiae episcopum et domini martyrem dixisse commemorat [Pelagius] quia *libertatem arbitrii sui permisit hominibus deus ut pure et sine peccato viventes similes fiant deo* [s. 36]. Sed ad ipsum arbitrium pertinet vocantem audire et credere et ab eo in quem credit non peccandi adiutorium postulare. Nam utique cum dicit, similes fiant deo per *caritatem* dei futuri sunt similes deo *quae diffusa est in cordibus nostris* non naturae possibilitate nec libero arbitrio quod est in nobis sed *per spiritum sanctum, qui datus est nobis* [Rom. 5, 5]. Et quod dicit idem martyr: *templum*

sanctum est deo mens pura et altare optimum est ei cor mundum et sine peccato [s. 46]: quis nescit ad istam perfectionem perducendum cor mundum, dum interior homo renovatur de die in diem, non tamen sine gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Item quod ait ipse: *vir castus et sine peccato potestatem accepit a deo esse filius dei* [s. 60]: utique admonuit, ne cum quisquam factus fuerit ita castus et sine peccato (quod ubi et quando in eo perficiatur nonnulla quaestio est, sed inter pios bene quaeritur, inter quos tamen constat fieri posse et sine mediatore dei et hominum homine Christo Iesu fieri non posse) tamen ut dicere coeperam, prudenter Sixtus admonuit, ne cum fuerit quisquam talis factus et per hoc recte inter *filios dei* deputatus putetur ipsius fuisse *potestatis*, quam per gratiam *accepit* [s. 60] a deo, cum eam non haberet in natura iam vitiata atque depravata, sicut in evangelio legitur: *quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri* [Io. 1, 12] quod utique non erant per naturam nec omnino essent nisi eum recipiendo accepissent per eius gratiam huiusmodi potestatem. Haec est potestas quam sibi vindicat fortitudo caritatis, quae non est in nobis, nisi per spiritum sanctum qui datus est nobis.

Idem Retractat. l. II c. 42. a. 427.

Venit etiam tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra dei gratiam qua iustificatur impius et qua Christiani sumus quanta potuit argumentatione defendit. Librum ergo quo huic respondi, defendens gratiam non contra naturam, sed per quam natura liberatur et regitur. de natura et gratia nuncupavi. In quo verba quaedam quae velut Sixti (v. l. Xysti) Romani episcopi et martyris Pelagius posuit ita defendi, tanquam revera eiusdem Sixti essent, id enim putaveram, sed postea legi Sexti philosophi esse, non Xysti christiani.

Gelasii decretum VII 24 (Credner Zur Gesch. d. Kanons. 1847 p. 218). a. 492.

Liber proverbiorum, qui ab haereticis conscriptus et sancti Xysti nomine praenotatus est, apocryphus.

Isidorus, qui perhibetur, de viris illustribus c. I (VII 139 Arev.).

Xystus episcopus Romanae urbis et martyr composuit ad instar Salomonis librum proverbiorum tam brevi eloquio ut in singulis versibus singulae explicentur sententiae. Cui quidem opusculo haeretici quaedam contra ecclesiasticam fidem inseruerunt, quo facilius sub nomine tanti martyris perversorum dogmatum reciperetur assertio. Sed is qui catholicum sese meminit, probando legat et ea quae veritati contraria non sunt recipiat. Quidam autem putant eundem librum ab haereticis, non a Xysto, fuisse dictatum. Refellit autem hanc opinionem beatissimus Augustinus, qui in quodam opere suo ab eodem martyre hoc opus compositum esse fatetur.

1 (1) *Fidelis homo electus homo est.

2 (2) *Electus homo homo dei est.

3 (3) *Homo dei est, qui deo dignus est. *Ἄξιος ἄνθρωπος θεοῦ θεὸς ἂν εἴη. Porph. 15. Pyth. syr. 3. Cf. sent.* 376.

4 (4) *Deo dignus est, qui dignum deo agit.

5 *Studens fidelis esse nihil, quod deo indignum est, agas. *Θεοῦ ἄξιόν σε ποιήσει τὸ μηδὲν ἀνάξιον αὐτοῦ πράττειν. Σέκστου Georg. 43. Porph. 15. Max. 1. Agapet. 3.*

6 (5) *Dubius in fide infidelis.

2 dei est homo **G** | *Alterum* homo *om.* **Ww** || 3 homo deus *secundum Porphyrium legere voluit Boiss. Anecd. I 155* || 4 dignum deo **A**: nihil indignum deo **Qc**: nihil indigne **WOPVGwr** || 5 studens fidelis esse **AQ**: deo studens fidelis esse **WOVBGcw̃r**: deo studens dignus esse **P** | nihil quod] qui **A** || 6 infidelis **AQ**: infidelis est **WOPVBGwr** | in fide *male in sent. 7 transfert* **A** | infidelis. 7 Infidelis homo *om.* **c.** | quia dubius in fide infidelis est *Pseudo-Isid. Sixti I ep. 1, 3 (p. 107.) Iul. ep. 12 (p. 468). Capit. Angilr. 3.*

1—3. *Syr.* II 10, 23 *consone. Syr.* I 2, 2 *pro sententiis prima et secunda praebet:* Deus propter dignitatem operum creditur verus deus esse et homo propter praestantiam operum creditur esse sincere fidelis. *Tertiam mox post vigesimam exhibet*: Qui renuntiat mundo et affectibus et per fidem suam sapiens est, deus inter homines est, *magis igitur sententiae* 376 *et Porphyrio respondentem.*

4. II 18, 24: Dignus deo est, qui nil facit quod deo non placet.

5. II 10, 25: Si igitur animus tuus fidelis esse studet, nil facias quod deo dignum non sit.

6. II 10, 26: Quicunque modicae fidei (*Mt. 6, 30 etc.*) est, fidelis non est. I 2, 5: Qui modicae fidei (*prorsus ut Pesh. et Nitr.*) est, in hac sua fide infidelis est.

7 (6) *Infidelis homo mortuus in corpore uiuenti.

8 (7) *Uere fidelis est qui non peccat.

9 (7) *Etiam in minimis caute age.

10 (8) *Non est minimum in uita hominis neglegere minima. *Οὐ μικρὸν ἐν βίῳ τὸ παρὰ μικρόν Boiss. I 131.*

11 (9) *Omne peccatum inpietatem puta. *Πᾶν ἁμάρτημα ἀσέβημα Stoici ap. Stob. Ecl. II 216. Heeren.*

12 (9) *Non manus aut oculus peccat aut aliquod huiusmodi membrum, sed male uti manu uel oculo.

7 Infidelis in fide **A** *(cf. s. 6)* | in corpore viventi **AQ**: est in corpore vivente **W**(-ti) **POVB**(-ti) **Gcwr** *cum Pseudo-Isid.* (*var.* -ti) *Calist. ep. 1, 4* (*p. 136*) *Melch. 1, 5* (*p. 249*) || 9 age **AWOVBB²G**: agas **w**: agit **QPrc** | minimis]imis **Q** || 10 in vita homini **A** *et ut vid.* **G**: in vita hominis **c**: in vita hominum **WPVBB²rw**: in humana vita **Q** (?) **O** (?) | minima]anima **A**: animam **c** || 12 Non **AQ**: non enim **WOPVBrc**:

7. II 10, 27: Fidelis autem, qui etiam in fide sua probatus est, is deus est habitans in humano corpore vivo (*cf. similem locum post sent.* 82), et qui in fide sua certus non est, homo est mortuus, in corpore vivo habitans. I 2, 6: Mortuus est homo, qui cum damno suo in corpore vivit.

8. II 10, 30: Vere autem fidelis est homo peccatorum expers. I 2, 4 (*ante sent.* 6): Vere fidelis non is est, qui tantum non peccat, sed is qui etiam peccatoribus causa est, ut iusti fiant.

9. II 11, 1: et usque ad minimas vitae res prudenter agit. I 2, 7: Etiam usque ad minima caute age in vita tua, quia ex pauca palea ignis exardescit (*Sirac.* 11, 32 *Syr.*; *in Graeco est ἀπὸ σπινθῆρος πυρὸς* [*pro quo vocabulo ed. Compl. praebet μικρᾶς*] *πληθύνεται ἀνθρακία*). Et spiritalis omnia iudicat et solus a nemine iudicatur (*ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει τὰ πάντα, αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς κρίνεται. 1 Cor. 2, 15; a Simplice paulum recedit*), sed ne a deo quidem arguitur.

10. II 11, 1: Fidelis enim neque parva neque magna vilipendit, sed omnes vitae suae res ad perfectionem adducit.

11. II *postquam sententiam* 283 *eamque auctam inseruit, quam vide suo loco*, 11, 8: Omne enim peccatum contrarium est timori dei. *Semel monuisse sufficiat, εὐσέβειαν Syro semper esse* timorem dei.

12. II 11, 8: Non oculus peccat, neque manus, nec ullum

13 (10) *Omne membrum corporis, quod suadet te contra pudicitiam agere, abiciendum. melius est enim sine uno membro uiuere quam cum eo puniri. *Πᾶν μέρος τὸ ἀναπεῖθόν σε μὴ σωφρονεῖν ῥίψον· ἄμεινον γὰρ χωρὶς τοῦ μέρους ζῆν σωφρόνως, ἢ μετὰ τοῦ μέρους ὀλεθρίως Orig. in Matth. 15, 3.*

14 (11) *Inmortales tibi crede manere in iudicio et honores et poenas.

15 (12) *Quicquid saeculi habes, etiam auferat tibi quis, non indigneris.

16 (13) *Te ipsum reprehensibilem mundo non praebeas.

quum **w** | aut **AQ**: vel *rell.* | aliquod **AWGVcr**: aliquid **QOPB** | uti *rell.* utens **c** | peccatum est *in fine add.* **Vr** | male *om.* **G** | sed male — corporis *om.* **w** || 13 corporis *om.* **WB** | abiciendum **AGr**: abiciendum est **QWOPVBcw** | sine **AQG**(:sine membro vivere uno) **w**: cum **WOPVBcr** | eo **AQWO**(*in quo ante* e *et ipsam in rasura collocatam erasa videtur* d) **PVBGw**: duobus **cr**, *quod e Mt. 18, 8 sumpserunt.* | *In fine* **G** *habet:* perire vel puniri, *in quo vera lectio Graeco et Syro consentanea servata aut coniectando restituta videtur;* puniri *e loco Mt. 18. 8 ortum esse potest.* || 14 tibi crede **AQcr**: crede tibi **WOPVBGw** | manere **A**: permanere *rell.* (in iudicio permanere **P**) | et — et **AWVBGcr**: aut — et **O**: aut — aut **P**: *primum* et *om.* **Q** (?) | in iudicio et *om.* **w** || 15 tibi *om.* **V** | auferet **O** | quis tibi auferat **G** || 16 *Sic* **AQGVc**: inreprehensibilem

membrum aliud, sed id, quod contra legem per haec membra patratur, peccatum est.

13. II 11, 10: Propterea quodvis membrum corporis, quod a castitate abstrahere te vult, abiice abs te. Melius est caste (*σωφρόνως, ut Origenes*) sine uno membro vivere, quam totum cum illo membro abire in interitum sempiternum.

14. II 11, 13 Scias autem et videas, rationem tibi in iudicio reddendam esse (*cf. Eccl. 11, 9*); propterea ne libidine corporis te contamines, et scias, tum eos, qui cruciantur, sine morte esse in cruciatu, tum consilia, quae apud deum asservata sunt, aeterna esse; nam dona illius diei aeterna sunt et decretum iudicii eius aeternum est.

15. II 11, 17: Tota mundi huius transeuntis possessio si abs te aufertur, ne aegre feras. *Repetit idem post s.* 91 *p.* 13, 20: Quod ex hoc mundo abstulisti, si aufert a te mundus, ne aegre feras.

16. II 11, 19: Vide autem cave, ne ipse tu irretiaris

17 (14) *Omnia auferenti abs te cede praeter libertatem. *(Συγγενεῖ καὶ ἄρχοντι) πλὴν ἐλευθερίας πάντα εἶκε. Stob. 13, 21 (Pyth). Demoph. 42. Pyth. syr. 75.*

18 (15) *Sapiens vir et contemptor pecuniae similis deo est. *Ὡς ἀληθῶς ὅμοιος θεῷ ὁ αὐτάρκης καὶ ἀκτήμων φιλόσοφος Boiss. III 470 (ἄνθρωπος). Demoph. 16 (Ζῇ ὡς). Pyth. syr. 28.*

19 (16) *Rebus saeculi in causis tantum necessariis utere.

20 (17) *Quae saeculi sunt, saeculo, et quae dei sunt, deo.

21 (18) *Certus esto, quia animam tuam depositum fidele acceperis a deo.

mundo praebeas **B**: inreprehensibilem mundo non praebeas **WOPw**, *quod* **P** *illustrat superscriptis verbis:* ·i· non te laudes illi | mundo *om.* **r** || 17 Omnia **AQOPcwr**: omni **WYBG** | abs te **AQ**: a te *rell.* | quid abs te **Q**; *voluit igitur* omni | o. tibi auferenti ante (*sic*) **c** | per libertatem **A** || 18 deo est **AQYG**: est deo **WOPBcwr** || 19 necessariis tantum **Q**: necessariis *om.* **G** || 20 saeculo relinque, quae dei sunt, deo redde **w** | deo] reddantur deo **r** || 21 quia **A**: quod *rell.* | tuam depositum **AQYGr**: tuam id est depositum **WOPcw**: tuam in depositum **B** | a deo acceperis **w**

mundo. *Fuisse videtur ἐπίληπτος, cuius apud Syrum interpretatio ad sent. 15 et 17 magis accommodata est.*

17. II 11, 20: Si omne, quod extra te est, abs te aufertur, ne aegre feras, praeter solam libertatem tuam, quam ne reddas servitutem.

17ª. Addit II 11, 21: Coram quovis, qui dux tibi esse vult, humilia te. *Habuit ergo similem sententiam: Νόμῳ καὶ ἄρχοντι καὶ τῷ σοφωτέρῳ εἴκειν κόσμιον Stob. 5, 23 (Democriti). Democrat. 13. Max. 49. 58. Ant. I 67. II 73 (qui eam ad Isocratis, Epicteti et Democr. collectionem retulerunt). Flor. Mon. 37.*

18. II 11, 22: Homo sapiens nulla re implicitus (*αὐτάρκης*) deo similis est.

19. II 11, 22: Magis quam omnibus rebus tuis utere iis, quae coram deo magni aestimatae et pretiosae sunt. I 2, 9: Rebus huius mundi non utere nisi pro necessitate tua.

20. II 11, 23: Per ea, quae huius mundi sunt, mundo servi et per ea, quae dei sunt, prudenter deo servi. I 2, 10: et redde mundo sua et deo sua.

20ª. *Addit* II 11, 25: Sed scias eius quod concupiscis te servum esse (*δουλεύοντες ἐπιθυμίαις. Tit. 3, 3.*).

21. II 11, 26: Ne animum tuum propter corporis libidinem

22 (19) *Cum loqueris de deo, scito, quia iudiceris a deo.

23 (20) *Optimam purificationem putato nocere nemini.

24 (21) *Anima purificatur in uerbo dei per sapientiam. *Ψυχὴ καθαίρεται ἐννοίᾳ θεοῦ Boiss. I 128. Porph. 11. Cf.* 97.

25 (22) *Numquam putes dei substantiam insensibile esse.

26 (23) *Deus sicut mens est, quae sponte mouetur, secundum hoc et subsistit.

27 (24) *Magnitudinem dei non inuenies, etiamsi pennis volare possis.

28 (25) *Nomen dei non quaeras, quia nec inuenies, quia

22 de deo] deo **G** | quia **A**: quod *rell.* | a deo] ab eo **c** || 23 putato **OVGcr**: putat **A**: puto **WPB**: putes **w** | nemini nocere **OPw**: nemini noceri **WB** || 24 in *om.* **Q** || 25 putas **O**: coniectabis **w** | substantiam **AQWOPBGw**: sapientiam **Vcr** | insensibile **A**: insensibilem *rell.* | esse *om.* **WOPBw** | esse insensibilem **G** || 26 sponte movetur **AQ**: movetur sponte **WOPVBGwr**: modo sponte (*sic*) **c** | haec **cr** | subsistet **Q** || 27 Magnitudinis dei nostri invenies **A** (*τοῦ μεγέθους οὐκ ἐφίξῃ?*) || 28 Non **AWPVBGcr**: ne **QOw** | nec **AWPVBcwr**: non **OG** | quia nec invenies *om.* **Q** | omne *om.* **G** | nomine **AVBGcwr**: nomen **QW**: nom̄ **OP** || compellatur **A**: compellitur **Q**: appellatur *rell.* | meliori **W** | accepit **AQWOPVBw**: accipit **Gcr** | alius alius **AQcr**: aliud aliud **WOPVBGw** | vocetur **B** | audiatur **c** | qui *om.* **Q** | posuit **AQ**: imposuit **WOPVBcwr** |

probro afficias, (*cf. quae habuit* 14), sed scias animum tuum esse depositum tibi a deo datum.

22. *Nil apud Syros.*

23. II 11, 27: Mens pura, quae omni rei praeferenda est, ea est, quae neminem malo afficit.

24. II 11, 29: Animus autem purificatur per verbum dei, quod sapientes effantur.

25. II 11, 30: Substantiam (*οὐσίαν*) ullam, quae careat sensu intellectus discernentis, ne quis tibi persuadeat a deo esse.

26. II 12, 1: Nam deus intellectus est per se ipsum liber et ita exsistit. *In Graecis αὐτοκίνητος et ὑπάρχει fuisse videtur.*

26[a]. *Addit* II 12, 2: Deo divina conveniunt iisque gaudet et contentus fit.

27. II 12, 3: Magnitudinem divinitatis assequi nequis, etiamsi pennis velocibus volares.

28. II 12, 3: Nomen divinitatis ne quaeras, non enim

omne quod nomine compellatur a meliore nomen accepit, ut alius quidem vocet, alius autem audiat. Quis ergo est, qui nomen posuit deo? Deus non nomen est deo, sed indicium quod sentimus de deo. *Θεοῦ ὄνομα μὴ ζήτει· οὐ γὰρ εὑρήσεις. Πᾶν γὰρ τὸ ὀνομαζόμενον ὑπὸ τοῦ κρείττονος ὀνομάζεται, ἵνα τὸ μὲν καλῇ, τὸ δὲ ὑπακούῃ. Τίς οὖν ὁ ὀνομάσας θεόν; θεὸς οὐκ ὄνομα, ἀλλὰ δόξα περὶ θεοῦ Io. Dam. Cod. Rupefalc. o, 1. II 785 e martyrio Babylae, cui haec tribuuntur.*

29 (26) *Nihil ergo in deo quod non licet quaeras.

30 (27) *Deus sapiens lux est incapax contrarii.

deus non nomen est deo **AG**: d. autem non n. est deo **WOPVwr**: deus nomen est dei **Q**: d. autem non n. est dei **Bc** | indictum **A**: iudicium **G** *Abstemius. sed* indicium **c** || 29 in deo **AQw**: in deum **WOPVBGcr** | quod libet **V**: quae licet **A** || 30 Deus **AQcr**: *om.* **WOPVBGw**

invenis, nam omne, quod pronuntiatur, nominatur et appellatur, a deo qui omnibus praestantior est appellatur et nominatur, ut cognoscatur nominans et nominatus et qui imperat et qui obedit. Quis igitur est, qui ineffabili nomen ponat? Hoc autem nomen, quod deus appellatur, nequaquam verum dei nomen est, sed nomen hoc hominibus pro signo datum est laudandi nominis divini occulti causa, ut per hoc nomen, quod pronuntiatur, laudetur nomen dei occultum, quod non pronuntiatur. *In actis S. Babylae, quae secundo loco posuerunt Bollandi sodales AA. SS. Ian. II 574, haec ita leguntur:* Si te ad caelum perferret innumerus ordo pennarum et volatu ad astra pertingeres, tamen nomen dei scire non posses, nec enim vocatus a quoquam est aut appellatus aut visus, nisi quibus se ita prodidit, ut mortales oculi poterant sustinere. Nec enim deus nomen, sed virtutis (?) est gloria. Deus prudentiae via est, quae ducit ad vitam. Nihil ergo de eo quaerendum est, a quo omnia constant effecta. *In Graecis igitur, unde haec translata sunt, aderant etiam sententia 27 et 29. Priorem habet Metaphrastes in vita Babylae T. I p. 971 A. ed. Migne 1864 hac forma: Θεοῦ μὲν φύσιν οὐδὲ ἂν πολλὰ κάμοις εὑρήσεις, pro reliquis alia praebet.*

29. II 12, 12: Quod igitur in deo non est, non quaeras in eo.

30. II 12, 12: Deus enim ortus est lucis sapientiae novae, quam nemo assequitur, nec naturam contrariam assumit.

31 (28) *Quaecumque autem fecit deus, pro hominibus ea fecit.

32 (29. 30) *Angelus minister est dei ad hominem; non enim ministrat ad nullum; tam pretiosus est homo apud deum.

33 (31) *Primus beneficus deus; secundus est is qui beneficii eius fit particeps homo. *Cf.* 176.

34 (31) Uiue igitur tamquam qui sis post deum secundus et electus ab eo.

35 (32) *Habes in te aliquid simili dei et ideo utere te ipso velut templo dei propter illud, quod in te simile dei.

36 *Libertatem arbitrii sui permisit hominibus deus sine dubio, ut pure et sine peccato uiuentes similes fiant deo.

37 (33) *Reuereatur uitam tuam mundus.

38 (33) *Nihil admittas, quod tibi inurat notam.

39 (34) *Male uiuentes cum e corpore excesserint cruciabit malus daemon usque quo exigat ab eis etiam nouis-

31 autem *om.* **G** | ea *om.* **G** || 32 *Ita* **AQ** (**Q**: ministrat deus ad) ; est *om.* **WOPV**: dei est **Bw** | non enim ministrat ad nullum *om.* **WOP VBGcwr** | *In fine addunt* quam angelus **WOPVBGcr**: quoniam angelus **w** || 33 beneficius **A** *et a prima manu* **Q** | est deus **cr** | beneficiis **Q** | sit **O** | particeps est **c** || 34 ita tamquam **W** | qui] quam **V** *om.* **G** | secundus *om.* **WVBw** || 35 Habes inquit **B**: habes inquam **cr** | veluti **w** | templum **Q** | quod *om.* **Q** | simile est dei **Qcr**: est simile dei **WOPBGw**: est in te simile dei **V** || 36 promisit *Abstemius* | hominibus deus **AQ**: deus hominibus *rell. Laudat Augustinus De nat. et grat. c. 64, qui habet* hominibus deus || 38 admittas] sit **w** | inferat **V**: ingerit **G**: invehat **cr** || 39 exierint **Q**: *idem, sed supra scripto* excesserint **P** | usque quod

31. II 12, 14: *Consone.*

32. II 12, 15: Etiam angeli coeli ministri sunt dei, qui ab eo propter vitam hominum mittuntur, nec propter aliud quid creati sunt angeli, sed ut ministrent deo et hominibus; maioris igitur homo bonus a deo aestimatur quam angeli.

33. II 12, 18: Primus adiutor deus est et secundus, qui adiuvatur, homo est.

34. II 12, 19: Ita igitur in tota tua vita age, pure et caste, ac si secundus sis post deum. *Ultima vocabula ad sententiam sequentem traxit.*

35. II 12, 20: Si electus dei es, per ipsam tuam electionem natura quaedam [*addendum videtur* tibi] est, quae deo similis est; ita igitur utere corpore tuo tanquam templo dei.

simum quadrantem. (*ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην Mt. 5, 26*).

40 (35) *Beatus vir, cuius animam nemo reprehendit ad deum pergentem.

41 (37) *Quicquid supra omnia honoraueris, hoc tibi dominabitur.

42 (36) *Deum ergo honora super omnia, ut ipse tibi dominetur.

43 (37) *Si autem dominatum tui gerit deus, ita demum tu dominaberis omnibus.

44 (38) *Honor summus deo scire eum et imitari.

45 (39) *Simile quidem deo per omnia nihil est, grata tamen ei est inferioris, prout possibile est, imitatio.

46 (40) *Templum sanctum est deo mens pii et altare optimum est ei cor mundum et sine peccato. *Ναὸς θεοῦ σοφοῦ νοῦς Boiss. III 471. Νεὼς μὲν ἔστω τοῦ θεοῦ ὁ ἐν σοὶ νοῦς Porph. 19. Βωμὸν ἀληθῶς ἅγιον τὴν δικαίαν ψυχὴν λέγουσιν Clem. Al. 849 Pott.*

47 (41) *Hostia deo sola et acceptabilis bene facere hominibus pro deo.

A: quousque **G** | etiam nov. **A**: nov. **Q**: etiam ultimum **VG**: ultimum etiam **WOPBw**: etiam nov. q. ex. ab eis **cr**. *Rufinum probabile est scripsisse* ultimum; *nam librariis familiare fuit* novissimum, *quod in codicibus et apud patres* (*uno excepto libello De laude martyrii c. 13 apud Cyprian. III 36 Hartel*) *in Itala et Vulgata constanter legitur* || 40 reprehendat **c** || 41 supra **AWVB**: super *rell.* | donabitur **Q** | (supra — 43 autem *om.* **G**) || 42 supra **WVB** (**A**: *siper*) | tibi *om* **OP** | dominetur tibi **w** || 43 gesserit **Q** | tu demum **cr** | omnia **Q** || 44 imitari eum **c** || 45 per omnia *om.* **G** | possibile] pollere **c** || 46 dei **Q** | deo est **c** | est *om.* **w** | ei *om.* **WOPBcw** | pii *om.* **c** | est optimum **cr** | *Laudat Augustinus De nat. et grat. c. 64, pro* pii *praebens* pura || 47 deo sola **AQ**: sola deo **WOPVBw**: soli deo **cr** | est acc. **G** | et *om.* **c**

42. 43. II 12, 23: Sic enim homini fideli dominatus datus est, ut dominatus dei; homini enim, cui pura conscientia est, innocenti omnis dominatus a deo datus est.

44. *Conferendum est* III 31, 1: Honor dei summus est occulta [*neque ostentata*] hominis de deo scientia. *Similiter τιμὴν προσήκουσαν ἀπονέμεσθαι τῷ θεῷ ὑπὸ τοῦ μάλιστα τὸν θεὸν ἐγνωκότος ait Porph. Marc. 11.*

47. II *in appendice* 26, 11: Primarium facinus insigne,

48 (42)* Deo gratiam praestat homo, qui in quantum possibile est uiuit secundum deum. *Cf.* 381.

49 (43) *Deus quidem nullius eget, fidelis autem dei solius. *Θεὸς μὲν δεῖται οὐδενός, σοφὸς δέ μόνου θεοῦ Porph. 11. Boiss. I 127. Georg. 45. Fl. Mon. 7. Cf. Stob. 5, 34 (Socr.).*

50 (43) *Aemulatur ergo illum, qui nullius eget, is qui paucis in rebus necessariis indiget. *Ζῆλου τὸν μηδενὸς δεόμενον Boiss. I 128.*

51 (44) *Satis age magnus quidem esse apud deum, apud homines uero inuidiam effugere.

52 (45) *Si benignus es apud indigentes, magnus eris apud deum.

53 (46) *Sapiens uir, cuius uiuentis quidem parva est apud homines opinio, defuncti vero gloria praedicatur. *Σοφοῦ ζῶντος δόξα μὲν ὀλίγη, μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν τὸ κλέος ᾄδεται Boiss. I 134.*

54 (47) *Omne tempus in quo non de deo cogitas, hoc te computa perdidisse.

48 homo praestat **G** | qui] quum **G** | in quantum **AQWOBcr**: quantum **PVGw** || 49 quidem] autem **c** | indiget **P** | dei solius **AQVr**: solius dei **WOPBGcw** || 50 ergo *om.* **c** | illum] deum **G** | nec ullius eget **c** | qui in paucis necessariis indiget **G** || 51 Satage **Gw** | quidem *om.* **QVc** | esse] fieri **V** | vero *om.* **G**: vero homines **c** | effugere **AQ**: fuge **WOPVBGcwr** || 52 apud **AWPGcwr**: erga **QOVB** | es **A**: sis *rell.* || 53 Sapiens vir cuius] Sapientis viri **w** | apud hom. parva est **G** || 54 in quo **AQWVBcwr**: quo **OP**: quod **G** | non de deo **AQOPw**: de deo non **VBGcr**: non deo **W** | hoc *om.* **c** | te computa **AQWOPVBw**: te puta **G**: puta te **cr**

quod homo facit, est hominibus dei bona facere, eis qui se deo dedicarunt (28, 9:) et hoc est sacrificium deo magis gratum, quam omnes hostiae et splendida sacrificia.

49. I 2, 12: Dominus omnium nullius rei indiget, et qui ei fidem habet, eius solius indiget. *Cf. quae dicentur ad s.* 382.

50. I 2, 14: Eum igitur, qui nullius rei indiget, imitatur, ut similis fiat, is qui paucis tantum sibi necessariis indiget.

51. *Fortasse, cum sent.* 44 *praecedat et* 56. 57. 58. *sequi videantur, huc referendum est* III 31, 2: Omnis qui dei similis esse vult, fugiat quaecunque deo opposita sunt, et sicut te pudet dei, ita te pudeat tui ipsius.

54. I 2, 15: Omnia tempora, quibus deus in cogitationem

55 (48) *Corpus quidem tuum incedat in terra, anima autem semper sit apud deum. *Ἡ ψυχή σου ἀεὶ ἔστω παρὰ θεῷ Boiss. I 127.* = 144. 418.

56 (49) *Intellege quae sint bona, ut bene agas. (*Cf.* 344.)

57 (50) *Cogitatio hominis deum non latet et ideo cogitatio tua pura sit ab omni malo. *Διάνοια ἀνθρώπου θεὸν οὐ λανθάνει Boiss. I 128.*

58 (51) *Dignus esto eo, qui dignatus est te filium dicere, et age omnia quasi filius dei. *Cf.* 221.

59 (52) *Qui deum patrem vocas, hoc in actibus tuis memor esto. = 222.

60 (53) *Uir castus et sine peccato potestatem accipiet a deo esse filius dei.

61 (54) *Bona mens chorus est dei.

62 (55) *Mala mens chorus est daemonum malorum. *Χώρημα γὰρ ἡ ψυχὴ ἢ θεῶν ἢ δαιμόνων Porph. 21 cf. 19.*

63 (56) Iniustum si inhibeas agere iniuste, hoc est secundum deum punire.

64 (57) *Satis age non uideri, sed esse iustus. certum est enim uere non esse eum qui uideri vult. *Cf.* 189.

55 tuum quidem **c** | autem tua **G** | ad deum **Q** || 56 sunt **PG** | sint ut et bene agas bona **Q** || 57 Cogitatio **A**, *et* **Q** *post sent.* 67, *ubi hanc repetit:* Bona cog. **Q** (*hoc loco, sed litteris minoribus*) **WOPVB Gcwr** | sit] sit apud deum **G** || 58 eo **AWOPBGcwr**: deo **Q**: ei **V** | dign. est te **AQ**: te dign. est *rell.* | age **QWOPVBGw**: agere **Acr** | dei *in fine om.* **w** || 59 Qui **Ac**: quod **QWOPVBGwr** (*cf. sent.* 222) | hoc] huius **cr** | esto memor **Q** || 60 accipiet **Q**: accipit **G**: accepit **WOPVBcwr.** *Laudat Augustinus De nat. et grat. c. 64, apud quem hodie legitur* accepit || 61. 62 corus **A**: thorus **Q** || 62 malorum *om.* **G** || 64 Satage **G** | sed ẽ est **A** | iustus sed esse **G** | certum enim est **G**: enim *om.* **c** | vere **A**: *om. rell.* | eum non esse **c** | vult videri **G** | esse *in fine addunt omnes praeter* **A**

non venit, non solum perdita a te reputentur, sed tibi etiam ipsi noxia habeantur.

56. *Vix respondet* (*cf.* 51) III 31, 4: Et assiduus semper esto in cultu dei.

57. *Vix* III 31, 5: quia in cogitationem iusti deus imperium habet. *Sed cf.* 145.

64. I 2, 17: Stude, mi fili, ut iustus sis neque simules

65 (58) *Honora quod iustum est propter hoc ipsum, quia iustum est.

66 (59) Nequaquam latebis deum agens iniuste, sed nec cogitans quidem. *Οὐ λήσεις θεὸν ἀδικῶν, ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος Thales ap. Laert. Diog. I 36. Zeno ap. Arsen. p. 265.*

67 (60) Uir sapiens castus erit deo.

68 (61) Omnem spurcitiam fuge.

69 (62) *Semper de bonis loqui stude.

70 (63) *Libidinem uince.

71 (63) *Contine corpus in omnibus, quia ex deliciis et uoluptatibus non effugies spurcitiam.

72 (64) Uoluptuosum deus non exaudit. *Φιληδόνου θεὸς οὐκ εἰσακούει Boiss. III 473.*

73 (65) Deliciarum finis corruptio. *Ζωῆς εὐκαίρου τὸ κέρδος πτῶσις. Σέκστου Georg. I 37.*

74 (66) Uerbum uel ratio praecedat actus tuos. *Ἡγείσθω πάσης ὁρμῆς ὁ λόγος Porph. Marc. 34. Cf.* 166.

75 (67) *Perniciosum est seruire uitiis. quanta uitia habet anima, tot et dominos. *Ὅσα πάθη ψυχῆς τοσοῦτοι δεσπόται Boiss. I 131 (Porph. Marc. 34. Demoph 31. Pyth. Syr. 53: καὶ ὠμοὶ δεσπόται).*

65 qui iustum est **A** | ipsud **Q**: iustum (*sic*) **c** | quia **AQ**: quod *rell.* | est *in fine om.* **w** || 66 latebit **WBcw** | deum]eum Q | ne **WPw** | 71 Contineas **Qcr** | et del. **Q** | non *om.* **c** || 74 Verbum vel ratio **QWO PVBGw**: non verbum sed ratio **cr** || 75 Quanta **AQG**: quot **V**: quia quot **WOPBcwr**

esse; nam fallaci simulatione inveterata fraudaris quin vere iustus sis.

65. *Fortasse* (*cf.* 51) III 31, 6: Et sicut tu deum honoras, honora eos, qui apud deum honorati sunt.

71. *Ultima tantum verba servata sunt* I 2, 19: et si voluptates amas, lasciviam fugere nequis.

73. I 2, 20: Propinquus est enim interitus deliciis.

74. I 2, 20: Praecedat cogitatio actum tuum et linguam quoque nec unquam facto delinque neque verbo transgredere. *Num duplex illa verbi λόγος interpretatio latina et prior quidem satis absurda revera a Rufino originem habuerit, ex nostris fontibus effici non potest.*

75. I 5, 11: Perquam difficile est actionibus mundi sub-

76 (68) *Amor pecuniae amorem carnalium indicat. *Cf.* Ὁ φιλοσώματος πάντως καὶ φιλοχρήματος *Demoph.* 44.

77 (69) *Adquire possessionem firmam animae, virtutem.

78 (70) Renuntia rebus corporis, dum adhuc potes et quantum potes.

79 (71) Hoc solum tibi proprium dicito, quod bonum est.

80 (72) *Qualis uis esse, cum oras deum, semper talis esto.

81 (73) Cum optima quaeque abieceris praedam, tunc velut purificatus pete quod vis a deo.

77 *Ita* **A** (*sed is* animam) **Q** (*sed is* animi) **VG**: *Contra* Adquire possessionem firmam. Quid est firma possessio nisi virtus animae **WOPBw**. *Insuper* **cr** *praebent* virtus aut vis, *et* **r** *post* firmam *addit* animae virtutem || 78 corporeis **Q** | potest *bis* **W** || 79 tibi proprium dicito **Q**: tibi ducito **WOPVBGcw**: tuum ducito **r** || 80 Qualis] Qualem te **V**: *In* **P** *super vocem* qualis *scriptum est:* est pro quale | cum **AG**: dum **QWOPBcwr**: *om.* (orans?) **V** | deum oras **Gcr** | semper talis **AQWBGw**: talis semper **OPVcr** || 81 Cum *codd.:* dum *edd.* | praedam **Q**: praedia *rell.* | tunc *codd.:* tum *edd.* | velut **Q**: *om. rell.* | a deo **WOPBcwr**: a domino **Q**: ab eo **V** | a deo quod vis **w**

iectum esse, quot enim vincula animi, tot eius duri (ὠμοὶ) domini. *Legitur ibi post sent.* 262, *unde intelligitur cur* πάθη *in* vincula *mutari potuerint.*

76. I 3, 2: Amor pecuniae filius est defectus fidei, qui oritur, si de deo dubitatur.

77. I 3, 3: Ea quae animi sunt acquire, quia firma sunt. *Apud Latinum etiam vocabulum* virtutem *additicium censendum videtur.*

78. I 3, 4: et quae corporis sunt mitte, quia vel vi se ab eis expedire oportet. II 12, 25: Quantum omnibus viribus potes, fuge et abstine ab eis, quae corporis sunt.

79. II 12, 26: Et corroborare legibus veris, quae sunt bonum perfectum.

80. II 12, 27: Sicut eo tempore, quo coram deo precans stas, sic semper coram oculis tuis stabilita et fixa sit dei recordatio.

81. II 12, 29: Si in oculis tuis omnes res corporis tui pro stercore et luto habentur, tunc cor purum acquirere potes, et quando cor purum acquisivisti, omne quod a deo petis tibi conceditur. Praediis *hic locus non est*; *melius quadrat*

82 Qualis uis esse apud deum, iam nunc esto talis, cum distribuis ea quae mundi sunt; et ea despice tamquam qui te scias esse post deum.

83 (74) *Lingua maleloquax indicium mentis est malae. *Γλῶσσα βλάσφημος διανοίας κακῆς ἔλεγχος Max. 10. Ant. 53 (Plutarchi). Arsen. p. 165.*

84 (75) *Insuesce linguam tuam bene proloqui, et maxime cum de deo sermo fit.

85 (76. 77) Male quidem facere deo nemo potest; inpius autem est qui blasphemat; hoc enim solum quod potuit fecit.

82 *Sententiam om.* **Q** | talis esto **P** | cum distribuis **WOPVB**: cum distribueris **Gw**: dum distribueris **cr** | qui te scias **WOPVBw**: te scias **G**: sciens **cr** | praeter deum **cr** | *Codices post* sunt *interpungunt, editiones a voce* Dum *vel* Cum *novam sententiam incipiunt* || 83 maleloquax **A**: maliloquax **Q** *ita etiam Publil. Syr.:* lingua est maliloquax mentis indicium malae 187 *in app. Wölfflini, 624 Ribbeck:* maliloqua *rell.* | mentis est malae **AQV**: est malae mentis **WOPBcw**: est mentis malae **Gr**: mentis malae **B**[2] || 84 loqui **c** | fit **AQWOBG**: sit **PVcwr** | *In hac sententia desinit cod.* **Q** || 85 est **WVBGcwr**: et **P**: *om.* **O**, *quod praeferendum esset, nisi obstaret* enim | deo facere **Gr** | solum *om.* **c**

praedam, *etsi durius dictum. Syrus si confertur, de permutatis inter se σκυβάλῳ et σκύλῳ cogitari potest; cf. σκυβαλίζειν Sir. 26, 28.*

82. II 13, 2: Qualem mens tua te apud deum esse cupit, talis ut semper sis stude; possessionem mundanam contemne et sine parsimonia inde distribue et pauperibus da; et si ita feceris, scias te esse secundum a deo.

82[a]. *Addit* II 13, 5: Animus iusti est deus, quia (*sic, sed uno vocabulo deleto legendum erit* qui) commoratur in corpore mortali (*cf. eundem Syrum 7*). Qui igitur in vita male agit, affligit deum in se (*vel* in eo) habitantem eique contumeliam imponit (*cf.* 429).

83. II 13, 7: Lingua contumeliosa indicium est mentis internae: quomodo corrupta (et) a deo (aversa) sit et quid semper sit eius studium.

84. II 13, 8: Lingua igitur laudans et benedicens sit tibi, imprimis erga deum.

85. II 13, 10: Homo deo contumeliis male facere non potest; in impii autem, qui contumeliis utitur, potestate si fuisset aliud quid facere, fecisset.

86 (78) *Fundamentum pietatis continentia, culmen autem pietatis amicitia ad deum. *Ἐγκράτεια κρηπὶς εὐσεβείας Max. 12. Ant. 31 (Clitarchi).*

87 (79) Pium hominem habeto tamquam te ipsum.

88 (80) *Opta tibi euenire non quod uis sed quod expedit. *Εὔχου σοι γενέσθαι μὴ ἃ βούλει, ἀλλὰ ἃ συμφέρει Boiss. I 122.*

89 (81) Qualem uis esse tibi proximum tuum, talis et tu esto proximis tuis.

90 (82) *Quod culpas facere noli. *Ὅσα νεμεσᾷς τῷ πλησίον, αὐτὸς μὴ ποίει Thales ap. Stob. 3, 79.*

91 (83) Nulli suadenti adquiescas petere quod non est bonum. *Μηδείς σε πειθέτω ποιεῖν τι παρὰ τὸ βέλτιον Boiss. I 122.*

86 pietatis **AP**: pietatis est **WOVBGcwr** | amicitia] iustitia **c**: est amicitia **W** | a deo **A** || 88 Optat tibi et venire non qui vis sed qui expedit **A** | expediat **G** || 89 tibi vis pr. t. esse, talis tu esto **G** | proximum tuum tibi **cr** | proximis tuis **WVBGcw**: tuis proximis **OPr** || 90 quod culpas **A**: quae culpas **VG**: quae culpes **cr**: quae culpae est **WOPB**: quae culpa est **w** || 91 Noli (*sic*) **G** | ut petas **w** | non *om.* **G**

86. II 13, 12: Continentia autem ita animum a peccatis tuetur, ut crepida pedem tegit; perfectus vero dei timor est hominis erga deum amor. *Melius vocem κρηπίς intellexit Pyth. syr. 44.*

87. II 13, 14: Ita autem homine deum timente uti ne dubites, ut te ipso.

88. II 13, 15: Ne ores ut tibi fiat, quod cogitas, sed quod vitae tuae utile esse debet.

89. II 13, 17: Quale vis tibi homines facere, tale eis tu quoque fac. *Repetit idem 18, 9 post sent.* 210: Ut vis tibi facere socios tuos tibi coniunctos, ita eis tu quoque fac. *Similia: Γίνου τοῖς πᾶσιν ὡς σοὶ θέλεις τοὺς πάντας Ant. II 55 (Evagrii). Τοιοῦτος ἴσθι τοῖς φίλοις καὶ τοῖς πέλας Οἵους σεαυτῷ τούσδε τυγχάνειν θέλεις Greg. Naz. II p. 606. Max. 57. Ant. II 83. Cf. Mt. 7, 11.*

90. II 13, 18: Nihil cuius tandem te poenitebit facias. *Respondet potius, quod ad septem sapientes refertur Πρᾶττε ἀμεταμέλητα Boiss. I 142. Πρᾶττε ἀμετανοήτως Stob. 3, 80 (p. 91, 15 Mein.).*

91. II 13, 19: neve unquam tibi quis persuadeat facere

92 (84) Quae tibi deus dat, auferre nullus potest. *Δῶρον θεοῦ ἀναφαίρετον Demoph. 1. Pyth. syr. 3.* = 405.

93 (85) *Delibera priusquam agas, et antequam agas peruide quale sit quod facturus es. *Σκέπτου πρὸ τοῦ πράττειν καὶ ἃ πράττεις ἐξέταζε, ἵνα μηδὲν ποιῇς ὃ μὴ δεῖ Boiss. I 128.*

94 (86) Si quid non uis scire deum, hoc ne agas nec cogites.

95 (87) Priusquam agas quodcumque agis, cogita deum, ut lux eius praecedat actus tuos.

96 (88) Grandis inpietas in deum hominem affligere.

97 (89) *Anima inluminatur recordatione dei. *Cf.* 24.

92 Quod **VGcr** | nullus auferre **BGcr** || 93 Delibera **AVr**: libra **WOP** (*is supra scripta glossa:* estima) **BGcw** | priusque **A** | antequam facies **A** | pervide **AWO** (: fervide) **P** (: fer:Vide) **w**: provide **VBcr**: praevide **G** | quod] que **A** | quale sit q. f. e. **Acr**: q. f. e. quale est **WOPVBGw** (*sed* **Gw**: sit) | scire non vis **G** | istud **r** | ne-ne **WOP**: ne-nec **B**: nec-nec **VGcr**: ne agas sed ne cogites quidem **w**. *Scripsi* nec cogites, *nam quod praebet* **W** necogites *ex antiqua scripturae ratione hoc significare potest.* || 95 ut *om.* **c** || 96 in] apud, *sed supra scripto* in **P** | hom. affl. **WOPVBw**: affl. hom. **cr**: hominem *om.* **G** || 97 inluminatur **A** (: -netur) **WOPVBGw**: illustratur **cr** | cogitatione *sed supra scripto* vel recordatione **P**

aliud atque bonum. *Num Rufinus verbum πράττειν vi* exigendi *accepit, an legendum est* patrare? *neutrum placet. Cf. Carm. aur.* 25 *Μηδεὶς ... λόγῳ σε παρείπῃ ... Πρῆξαι ... ὅτι τοι μὴ βέλτερόν ἐστιν.*

Sequitur sent. 15 *quam v. supra p. 3.*

92. II 13, 21: *Consone.*

93. II 13, 22: Primum meditare et tunc fac negotium tuum; consulta et tunc age, ne iterum facere debeas.

94. II 13, 24: Nihil quod deo non placere scis facias.

95. II 13, 25: Ante omnia opera tua dei memor sis et initio omnium verborum tuorum (memor sis) observandorum eius praeceptorum. I 3, 5: Ante omnes actus tuos dei memento et is efficiet, ut illucescat tibi cognitio omnium, quae te facere oportet.

96. II 13, 26: Impietas enim erga deum magna est hominem homini male facere.

97. II 13, 27: Omnis enim animus, qui hominem magni

98 (90) *Contentus esse mediocribus stude.

99 (91) *Noli omnia concupiscere.

100 (92) Occasiones bonorum perquire etiam cum labore. (*τὰς ἀφορμὰς τῶν χρηστῶν ἀνιχνεύειν Agapet.* 55).

101 (93) Noli diligere ea, quae corporis sunt.

102 (94) Inmundum hominem facit actus turpis.

103 (95) Purgatur anima insipientis, cum arguitur intrinsecus latens sensus eius.

104 (96) *Deus in bonis actibus hominibus dux est.

105 (97) *Neminem inimicum deputes. *Οὐδεὶς ἐχθρὸς τῷ σπουδαίῳ Hierocl. in carm. aur. 6—8. p. 56 Needh.*

106 (98) *Dilige omnem, qui eiusdem tecum naturae est, deum uero etiam plus quam animam tuam dilige.

98 *Ita* **A**, *si colligere licet e silentio collatoris* | esse de minimis **G**: esse de mediocribus **cw**: esto. De mediocribus **WOPVBr**. *Sed Syrus unam tantum sententiam esse confirmat.* || 106 omnem qui **A**: hominem

aestimat, divino intellectu collustratus est. I 3, 6 (*post* 95): illuminata enim est mens, cum deum cogitat.

98. II 13, 28: Omne, quod satis est, sufficiat tibi. I 3, 7: Insuesce te, ut pauca tibi sufficiant.

99. II 13, 28: neve concupiscas ea, quae remota abs te sunt. I 3, 8: neve cupias quae usum tibi necessarium excedunt.

100. II 13, 29: Et e bonis elige tibi meliora et e melioribus perfecta.

101. II 13, 30: Ne diligas, quod appetit corpus, sed appete opera animi.

102. II 14, 1: Homo impurus, ut nomine impuro appelletur, actus mali efficiunt. I 3, 8: Immundum enim reddit hominem etiam vana cogitatio.

103. II 14, 2: Omnis anima scientia carens amat laudem vanam.

104. II 14, 3: Deus bonis [*sic lege e cod. B; editum est* bonorum] hominum operibus praeest et is solus dux est omnis boni. I (*postquam inter* 102 *et hanc inseruit sententiam* 113) 3, 10: dux enim [deus, *quod e sent.* 113 *supplendum*] bonorum actuum eis est, qui eum implorant.

105. II 14, 4: Nemo in hoc mundo tibi inimicus sit.

106. II 14, 5: sed omnes homines dilige tanquam filios tuos, deum magis dilige, quam te ipsum.

107 (99) Pessimum est peccatoribus in unum conuenire, cum peccant.

108 (100) Multi cibi inpediunt castitatem et incontinentia ciborum inmundum facit hominem.

109 (101) Animantium omnium usus quidem in cibis indifferens, abstinere vero rationabilius est. *Ἐμψύχων χρῆσις μὲν ἀδιάφορον· ἀποχὴ δὲ λογικώτατον. Σέκστου. Orig. c. Cels. VIII, 30 p. 397 Spenser.*

110 (102) Non cibi, qui per os inferuntur, polluunt hominem, sed ea quae ex malis actibus proferuntur.

qui **c**: omne quod **WOPVBwr** | eiusd. tec. nat. **AWOPVr**: eiusd. nat. tec. **BG**: tec. eiusd. nat. **w**: eadem tec. natura **c** | deum *et quae sequuntur* **A** *non exhibet* | vero etiam plus **WOPVcr**: vero et amplius **B**: vero plus **Gw** || 108 Cibi multi **V** | castitati **WOP**(: *sed supra scripto* vel tem) **B**: impedimento sunt castitati **w**. *dativus hic veram lectionem fuisse* castitate *indicat* | hominem facit **VG** || 109 Animantium quidem esus indifferens est **c** | indiff. est **G** || 110 animam **c**

107. II 14, 6: Haud indecorum peccatoribus est convenire in unum, quando resipiscere volunt a peccatis.

108. II 14, 7: Multi cibi animum a puritate apud deum impediunt et delabitur (*leg.* ܘܢܦܠ) a sublimi altitudine, in qua positus erat; quicunque se a multis cibis non continet, animum immundum reddit.

109. II 14, 10: Multo enim praestantius est hominem carne non vesci. *Mire cum Sexto concinit Manus 5, 56:* na mânsabhakshane dosho . . . pravrittir eshâ bhûtânâm, nivrittis tu mahâphalâ: *Non contrahitur carnium esu culpa; naturale hoc est hominibus; abstinendo autem magnopere merentur.*

110. II 14, 11: At vero non quod os intrat polluit hominem, sed cogitationes malae, quae ex corde malo egrediuntur. *Haec sumpta esse e Mt. 15, 11: οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος.* 18: *τὰ δὲ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχεται.* 19: *ἐκ γὰρ τῆς καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροί facile apparet eisdemque verbis utuntur Simplex et Nitriensis. An etiam sententia qualem Rufinus habuit inde originem duxerit, addubitandum est; nam rei cardo positus est in sent.* 111, *quae cum in sacris Christianorum libris non legatur inde sumi non poterat.*

111 (103) Quicquid cupiditate victus acceperis polluit te.

112 (104) *Multitudini placere ne satis agas. *Ἔπαινον πλήθους μὴ θαύμαζε ἢ μὴ ἀτίμαζε Boiss. I 133.*

113 (105) In omni quod bene agis auctorem esse deputa deum. *Παντὸς οὗ καλῶς πράττεις θεὸν ἡγοῦ αἴτιον Boiss. I 128. Porph. Marc. 12 (πάντων — ἡγώμεθα).*

114 (106) Mali nullius auctor est deus. *Κακῶν θεὸς ἀναίτιος Boiss. I 128. Porph. Marc. 12. οἱ θεοὶ τῶν κακῶν εἰσὶν ἀναίτιοι Iambl. Vit. Pyth. c. 32 p. 218.*

115 (107) Non amplius possideas, quam usus corporis poscit.

116 (108) Aurum animam non eripit de malis.

117 (109) In deliciis positus corporis certum est, quia ignoras illa, quae praeparata sunt a deo.

111 polluet **G** || 112 satagas **Gw** || 113 In omne **PVB²G** | agas **P** | deum deputa esse **G**: esse *om.* **c** | adiutorem deputa esse **B²** || 114 deus auctor est **G** || 116 non eripit animam **cr** | a malis **V** || 117 corporis positus **Gcr** | certum est quia ignoras **WOVBG**: c. e. quod ignoras **w**: c. e. quia ignores **cr**: ignoras certum est **P** | sunt **WOPVBGw**: sunt tibi **c**: sint tibi **r**

111. II 14, 13: Omnis cibus, cuius cupiditate vinceris, si eum edis, corpus tuum immundum reddit.

111[a]. *Addit* II 14, 14: Numquam consentiat animus tuus libidinem corporis tui satiare. *Contra omittit sent.* 112.

113. II 14, 15: Omne bonum quod facis scias deum in te efficere; is enim omnis boni causa est. I 3, 9: Omnis honesti quod agis crede deum tibi esse causam (dux enim bonorum actuum est eis qui eum implorant). *Ultima verba exhibent sent.* 104 (*v. supra*), *quam cum II suo loco habuerit, ea quae is addit fortasse respondent dicto ἀγαθοποιὸν γὰρ μόνον τὸ θεῖον, quod, etsi paulo aliter intellegendum, legitur apud Porph. Marc. 17* (*p. 203, 7 Nauck*).

114. II 14, 16: Deus enim insons est omnis mali, quod faciunt homines.

115. II 14, 17: Ne avidus sis eius, quod corpus tuum concupiscit.

116. II 14, 18: quia aurum et argentum a malo non redimunt.

117. II 14, 19: Scito igitur deum, si corpus libidinibus

118 (110) Ea posside, quae nullus possit auferre a te.

119 (111) Fer quod necesse est, sicut necesse est.

.120 (112) Magnanimus esse stude. *Μεγαλοψυχίαν ἄσκει Boiss. I 128.*

121 (113) Ea, quae si contemnas recte laudaris, ne retineas; in quibus probabiliter magnificus eris, haec optine.

122 (114) *Haec posce de deo, quae dignum est praestare deum. *Εὐκτέον τὰ ἄξια θεοῦ Porph. Marc. 12.*

123 (115) Ratio, quae in te est, uitae tuae ipsa sit lex.

118 Haec **c** | auferri **OPB** | auferre possit **G** | a te *om.* **c** || 119 Ferre *a prima manu* **W** | ut **w** | *in fine* sit **c** || 120 magnanimis **O** || 121 quasi **P** | contemnes **r**: condempnas (*vocabulorum serie prorsus turbata*) **G**: quae condemnas si recte **w** || 122 de (*παρὰ*) deo **AWOP**: a deo **VBcwr** *et* **P** *a sec. manu*: deum **G** | deum] deo **G** || 123 Ratio] Non **G** | lex] lux **G**

permulceas, a te procul abesse. *Ad Rufinum conf. 1 Cor. 2, 9: ὅσα ἡτοίμασεν ὁ θεός.*

118. II 14, 20: Acquire autem tibi possessionem, quam totus mundus abs te auferre non potest.

119. II 14, 23: Caute serva magna et parva, quae tibi a deo concredita sunt. I 3, 10: Sine murmure fer difficultates, quae tibi accidunt omni modo; si a natura: propter ipsam naturam; si ab adversario: quia remissus te non cinxisti; si a domino tuo: aut ut castigeris si peccaveris, aut ut probatus fueris quia viceris.

120. II 14, 22: Et cor tuum magnum redde neve metuas, thesaurum tuum spiritalem custodire, sed acquire magnitudinem cordis.

121. II 14, 23: Neve ulla re menti tuae contemnenda tenearis, etiamsi inter homines de ea lauderis, sed quae praestantia esse scis obtine.

121[a]. *Addit* II 14, 25: Quodcunque enim iuste acquiris, abs te non aufertur. *Cf.* 77. 118.

122. II 14, 26: Precare a deo, ut ab eo accipias quod deo dignum est.

123. II 14, 27: Verbum (*sed erat λόγος, ut in sent.* 74 *huic simili*), quod in mente tua occulte habitat, lex vera in hoc mundo tibi sit. *Vulgaris editionis lectio* lux *referri possit ad versum Greg. Naz. II 582: Λύχνος βίου σοι παντὸς ἡγείσθω*

124 (116) Ea pete de deo, quae accipere ab homine non potes. *Αἰτώμεθα ἃ μὴ λάβοιμεν ἂν παρ' ἑτέρου Porph. Marc. 12.*

125 (117) In quibus praecedere debet labor, haec tibi opta euenire post laborem. *Ὧν ἡγεμόνες οἱ μετ' ἀρετῆς πόνοι, ταῦτα εὐχόμεθα γενέσθαι μετὰ τοὺς πόνους Porph. Marc. 12.*

126 (118) Oratio uel vota pigri sermo uanus. *Εὐχὴ γὰρ ῥαθύμου μάταιος λόγος Porph. Marc. 12.*

127 (119) Non oportet contemni ea, quibus etiam post depositionem corporis indigemus. *Ὧν τοῦ σώματος ἀπαλλαγεὶς οὐ δεήσῃ, ἐκείνων καταφρόνει Georg. 106. Stob. 5, 30. Porph. Marc. 12. Pyth. syr. 96. al.*

128 (120) Non petas a deo id, quod cum habueris non perpetuo optinebis. *Ἃ κτησάμενος οὐ καθέξεις, μὴ αἰτοῦ παρὰ θεοῦ Boiss. 114. 124. Porph. Marc. 12. Demoph. 1. Pyth. syr. 3.*

124 ab homine accipere **G** || 125 deb. praec — ev. opta **G** | debet *et* opta *om.* **c** | hoc **c** || 126 vel vota] tota **G** || 127 contemnere **O** || 128 nisi id quod **c** | non] in **G**

λόγος, nisi ab omni codicum et Syri auctoritate destituta pro mendo habenda esset. Eo minus Orellii ad h. l. coniectura dux *ferri potest.*

124. II 14, 28: Pete et posce a deo id quod homines tibi demere non possunt.

125. II 14, 29: Quodcunque opera et labore acquisivisti, id pete ut penes te sit.

126. II 14, 30: Preces hominis ingenii torpidi preces inanes et vanae sunt. I 3, 13: Preces levis alicuius non solum sunt sermo vanus, sed etiam maledictio in deum per vilitatem suam.

127. II 15, 1: Quodcunque si corpore egrederis te non sequitur, contemne et loco suo relinque neve aspice. I 3, 15: Quo post mortem non indiges, id etiam in vita contemne et conculca. *Rufinus vix aliter legit, sed minus accurate quam Syri Graeca verba transtulit.*

128. II 15, 3: Quodcunque, postquam acquisivisti, aufertur nec tibi adhaeret neque te sequitur, ne petas a deo. I 3, 19 (*post* 131): Quod, si acquiris, non in perpetuum adipisceris, id nec ama neque a deo pete.

129 (121) Insuesce animam magnum aliquid de se sentire post deum.

130 (122) Nihil pretiosum ducas, quod potest a te auferre homo malus.

131 (123) Hoc solum bonum putato, quod deo dignum est.

132 (124) Quod deo dignum est, hoc et viro bono.

133 (125) Quicquid non conuenit ad beatitudinem dei, nec conueniat homini dei.

134 (126) *Haec debes uelle, quae uult et deus. *Ταῦτ' οὖν θέλε (καὶ αἰτοῦ τὸν θεὸν), ἃ θέλει (τε καὶ ἔστιν) αὐτός Porph. Marc. 13.*

135 (127) *Filius dei est, qui haec sola pretiosa ducit, quae et deus.

129 animam **WOPBw**: animam tuam **VGcr** | magn. al. de se sent. **WVBG** (*qui om.* de se): magn. de se sent. al. **P**: al. magn. de se sent. **Ocwr** || 130 potest a te a. **WVB**: potest a. a te **PG**: possit a. a te **cr**: a. a te possit **O**: a te malus homo a. potest **w** || 132 etiam **G** || 133 non *om.* **c** | nec conveniat **WOPw**: non conveniat **VBr**: non convenit **c** | ad — conveniat *om.* **G** || 134 Ea **cr** | et deus vult **r** || 135 est qui *om.* **c** | haec] et **A** | sola *om.* **G**

129. II 15, 5: Mentem consuetudinibus bonis et honestis assuefac. III 31, 8: Et post fidem in deum fidem etiam in te ipsum habeas.

130. II 15, 5: Quodcunque abs te aufert homo malus ne quaeras. I 3, 16: Quodcunque homo malus tibi adimere potest, sit tibi nihili neve pretiosum id ducas.

131. II 15, 6: Sed illud a te opus bonum putetur, quidquid (oσı *legendum videtur pro* oσıo *et alterum* oσı *cum praecedentibus iungendum*) deo gratum est; [id] fac (*Verba aliquantum turbata sunt*). I 3, 17: Unum tantum a te bonum putetur, id quod etiam deo convenit: eum diligere et proximum tuum amare.

132. II 15, 7: Quod deo dignum est etiam bono homine.

133. *Deest.*

134. II 15, 8: Ne velis aliud quid atque quod deus vult. I 3, 20 (*post* 128 *posita et cum ea coniuncta*)*:* sed velis ab eo petere ea, quae et ipse tibi dare vult.

135. II 15, 9: Quicunque magni aestimat id, quod a deo magni aestimatur, filius dei est.

136 (128) Donec in desideriis est caro, anima ignorat deum. *Ἐφ' ὅσον τις τὸ σῶμα ποθεῖ καὶ τὰ τοῦ σώματος σύμφυλα, ἐπὶ τοσοῦτον ἀγνοεῖ τὸν θεόν Porph. Marc. 13.*

137 (129) Cupiditas possidendi origo est auaritiae. *Ὄρεξις κτήσεως ἀρχὴ πλεονεξίας Max. 12. Ant. 31* (*Clitarchi*).

138 (130) Cum semet ipsum quis amplius diligit, inde iniustitia nascitur. *Ἐκ γὰρ φιλαργυρίας* (*Rufinus legit φιλαυτίας*) *ἀδικία φύεται Ibid.*

139 (131) Naturaliter parum quid corpus molestum est animae, luxuria vero facit corpus intolerabile.

140 (132) Omne quod plus est homini, quam necesse sit, inimicum est ei.

141 (133) *Qui amat quod non expedit non amabit quod expedit. *Φιλῶν ἃ μὴ δεῖ οὐ φιλήσεις ἃ δεῖ Boiss. I 128. Max. 3* (*Clitarchi*).

138 Dum **WGcwr** | quis semetipsum **w** | amplius *om* **c**: plus **G** | unde **B** || 139 parvum **c** | quid **WOPVB**: quidem **Gcwr** | vero *om.* **c** || 140 homini plus est **c** | necesse sit **WPBGcwr**: necesse est **OV** || 141 quae — quae **A**: quod — quod *rell.* | amabit] amat **B**[2]**c**: habebit **G**

136. II 15, 10: Quoad homo in affectibus libidinis est, deus ex animo eius amotus est.

137. II 15, 11: Cupiditas opum initium est viae avaritiae.

137[a]. *Pergit:* et ex amore pecuniae nascitur porro insolentia, *quae sunt verba in ipso Clitarchi dicto sequentia: ἐκ γὰρ φιλαργυρίας ἀδικία φύεται. In syriacis unum idemque vocabulum est* (*proprie* studium praevalendi), *quod uti hic, ita etiam in Simplici utrique et πλεονεξίᾳ et ἀδικίᾳ respondet. Contra tertiam eiusdem dicti partem, quam Rufinus* 138 *exhibet, Syrus non habet, at addit:* is est radix omnium malorum, *quae verba sunt 1. Tim. 6, 10: ῥίζα γὰρ πάντων τῶν κακῶν ἡ φιλαργυρία.*

139. II 15, 13: Cogitationes autem paucae sunt in animo, quae ei molestae sunt: quae sunt avaritia et *πλεονεξία*; amor vero libidinum corporis (*hoc, nec* animi, *e B*[2] *contra reliquos codices omnes legendum sententia flagitat*) voluptuosum corpus constituunt insatiabile.

140. II 15, 15: Omne enim supervacaneum, quod homo ad necessarium addit, ei inimicum est.

141. II 15, 16: Qui enim cupit quod cupere eum non decet, inimicum is sibi cupit.

142 (134) Qui studium habet erga ea, quae non sunt bona, latebunt ei, quae bona sunt.

143 (135) Sapiens paucis verbis innotescit. *Σοφὸς ἄνθρωπος ὀλίγοις γινωσκόμενος Porph. Marc. 13.*

144 (136) *Sapientis mens semper apud deum est. *Ψυχὴ σοφοῦ σύνεστιν ἀεὶ θεῷ Porph. Marc. 16. Ἡ ψυχή σου ἀεὶ ἔστω παρὰ θεῷ Boiss. I 127.* = 55. 418.

145 (137) Sapientis mentem deus inhabitat.

146 (138) *Inexplebilis est omnis cupiditas, propterea et semper indiget. *Ἀπλήρωτον ἡ ἐπιθυμία, διὰ τοῦτο καὶ ἄπορον Max. 3* (*Clitarchi*).

142 Qui studet his **r**: qui studet iis **c** | bona non sunt **G** | ei **W OPB**: eum **VGw**: ea **B**[2]: *om.* **cr** | bona quae sunt **G**: ea quae bona sunt **w** || 143 *Ante* 142 *ponunt* **Ocr** | verbis inn. paucis **r** | Sapiens vir in paucis innotescit **c** | *Regula Benedicti c. VII:* Sapiens verbis innotescit paucis. Verbis *comparatis Graeco et Syro additicium videtur* || 144 Sapientis **WOPVBG**: sapienti **A**: sapiens **w** | Semper apud deum mens est sapientis **cr** || 145 mentis **c** || 146 Inexplebilis **AGcwr**: inexplicabilis **WOP**(*sed* **P** *superposito* vel inexplebilis) **VB**

142. I 3, 22: Si studes eis, quae te discere non oportet, etiam quae scire et facere debes te latent. *Fusius* II 15, 17: Quatenus bona in te vigilant, eatenus dormiunt mala et quatenus studium mentis tuae in mala spectat, eatenus in te exstincta et deminuta sunt bona.

143. II 15, 21: Sapiens autem etiam paucis cognoscitur sapiens esse.

144. II 15, 19: Cogitatio iusti semper apud deum est. *Huc referendum est, quod I inter* 134 *et* 143 *praebet* I 3, 21: Mens iusti deo perpetuo studet; propterea ei non opus est res mundanas curare.

145. II 15, 20: quia cogitationes iusti deus inhabitat.

146. II 15, 21: Cupiditatis insatiabilis finis est corruptio: (*cf.* 73 *et locum Pauli Phil. 3, 19 ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία*) et in omni re immoratur nec ab ulla vel maxime inani recedit (*Verba sana non sunt; verti ac si esset* ܠܐ ܗ̣ܘ ܕܣܒ̇ܥ). I 3, 24: Non finis cupiditatum est in earum servis; propterea neque hi plene eis saturantur. *Addit:* ad silentium autem et intermissionem rediguntur ab eis, qui, si corpus emortuum (*cf. Rom. 4, 19*) est, in animo odium in eas conceperunt.

147 (139) Sapiens semper sibi similis est.

148 (140) Sufficit ad beatitudinem agnitio dei solius et imitatio.

149 (141) *Malis qui adulatur peiores facit. *Κακοὶ κολακευόμενοι κακώτεροι γίνονται Ant. II 32.*

150 (142) *Intolerabilis fit malitia cum laudatur. *Ἀφόρητος γίνεται κακία ἐπαινουμένη. Σέκστου. Max. 68 (cf. Ribitt.) Ant. 1, 68. Democr. fr. spur. 10. Arsen. p. 88.*

151 (143) *Lingua tua sensum tuum sequatur. *Ἡ γλῶσσά σου μὴ προτρεχέτω τοῦ νοῦ Chilo ap. Stob. 3, 79. Pittacus in coll. Aldina (Orelli I 148). Arsen. p. 480.*

152 (144) *Melius est lapidem frustra iactare quam uanum uerbum de deo proferre. *Αἱρετώτερόν σοι ἔστω λίθον εἰκῇ βαλεῖν ἢ λόγον ἀργόν Stob. 34, 11 (Pyth.). Pyth. syr. 7. Max. 15 Ribitt. Ant. 1, 48.*

147 similis est sibi **Gcr** || 149 eos facit **cr** || 150 fit **AVcr**: fiet **WOPBGw** || 152 iactare **A**(: lactare)**WPBGcwr**: iacere?? **OV** | vanum verbum de deo proferre **A**: verbum **WOPVBcwr** | lapidem iactare quam verbum frustra **G** | *Regula Magistri c. XI:* Melius est lapidem in vanum iactare quam verbum

147. II 15, 23: Sapiens semper sui similis est, stultus autem in omnes animalium formas mutatur.

148. II 15, 24: Sicut cibus ad vitam et corpus alendum sufficit, ita etiam cognitio et dei timor (*leg.* ܘܕܡܘܬܐ) sufficiunt ad animi vitam.

149. II 15, 26: Improborum quando quis eos adulatur improbitas augetur et bonorum si humiliantur bonitas augetur. I 3 27: Stultus si quis eum adulatur magis insanit.

150. II 15, 28: Haud modus (*num forte ἀόριστος legit aut legere sibi visus est?*) est malo quod laudatur. I 3, 28: Et (*hominem*) malum si laudatur nemo ferre potest.

151. II 15, 28: Semper lingua tua rationem comitetur et sequatur.

152. II 15, 29: Facilius est lapidem in hominem coniicere, quam verbum stultum in virum prudentem. *Habuit igitur saltem vocem ἀργόν, qua re lectionem codicis A confirmat. Alteri formae, in qua ἀργόν deest (Boiss. I 128, qui locus ex ipso Graeco Sexto petitus est, Porph. Marc. 14, Flor. Mon. 66, Io. Dam. κ,*

153 (144) *Delibera antequam dicas, ne quae non expedit dicas. *Σκέπτου πρὸ τοῦ λέγειν ἵνα μὴ λέγῃς εἰκῇ Boiss. I 129.*

154 (144) Uerba sine sensu obprobria. *Ῥήματα ἄνευ νοῦ ψόφοι Boiss. I 129. Georg. 78* (*ubi* Evagrii *et νοὸς ψόφος*).

155 (145) Uerbositas non effugiet peccatum. *Ἐκ πολυλογίας οὐκ ἐκφεύξῃ ἁμαρτίαν Prov. 10, 19.*

156 (146) Breuis erit in sermonibus sapiens. *Βραχυλογίᾳ σοφία παρακολουθεῖ Boiss. I 129.*

157 (147) Indicium inperitiae longa narratio. *Σημεῖον ἀμαθίας οἱ πολλοὶ λόγοι Georg. 79. Pyth. syr. 10. μακρολογία σημεῖον ἀμαθίας Boiss. I 129.*

158 (148) Ueritatem ama.

159 (149) Mendacio tamquam ueneno utere. *Τῷ ψεύδει ὡς φαρμάκῳ χρῶ Boiss. I 129. Clitarchi sec. codd. ap. Boiss. laudatos.*

153 ante quem **AW** *contra Graecum:* antequam *rell.* | nec quae **WO**: ne quod **G** || 154 sunt *in fine add.* **w** || 156 erit **WOVBw**: est **PGcr**: || 157 Indicium est **G** | est longa **WOBcwr** || 158 ama **WOPVBGw**:dilige **cr** || 159 tanq. ven. mend. **c**

3, Nil. 2), respondet reliquorum testium lectio, unde difficile dictu est, utra Rufini fuerit.

153. II 15, 30: Delibera et tunc loquere, ne loquaris quod non decet.

154. II 16, 1: quia omnia verba, quae originem non habent e sana ratione, voces inanes et vanae sunt.

155. II 16, 2: quia nemo multa loquens a vitiis liber esse potest. I 4, 2 (*post* 157): quia multitudine verborum homo difficulter peccatum evitat.

156. II 16, 3: Eum qui pauca loquitur sequitur sapientia. I 3, 30: Qui pauca verba facit sapiens est.

156[a]. *Addit* I 4, 1: silentium autem fructus est sapientiae.

157. II 16, 4: Et multum loquentem neque doctrina neque disciplina sequitur. I 4, 1: Et qui multa verba facit, defectum mentis prodit.

158. II 16, 5: Veritatem dilige. I, 3, 28: Semper in corde, sermone et opere tuo verus esto.

159. II 16, 5: Et a mendacio fuge, velut a veneno letali. I 3, 29: Mendacio autem si oportet tanquam medicamento (*ita intellegi voluit, cum non ut alter adderet* ܣܡܐ) utere.

160 (150) Ante omnia tempus uerbis tuis requirito.

161 (151) Tunc loquere, quando tacere non expedit.

162 (152) *De quibus ignoras tace, de quibus autem certus es loquere opportune. *Περὶ ὧν οὐκ οἶδας σιώπα· περὶ ὧν οἶδας ὃ δεῖ λέγε Boiss. I 129.*

163 (153) *Sermo extra tempus indicium malitiosae mentis. *Λόγος παρὰ καιρὸν ἀνοίας ἔλεγχος Boiss. I 129.*

164 (154) In conuentu ne satis agas primus dicere. *Ἐν συλλόγῳ πρῶτος λέγειν μὴ ἐπιτήδευε Boiss. I 129. Max. 15 Rib.* (*Clitarchi*). *Ant I 48* (*eiusd.*).

161 Tunc **WOVBrw**: Tum **PGc** | expediat **G** || 162 A *quatuor tantum priora vocabula praebet* || 163 Summo (*sic*) **A** | extra tempus] importunus **G** | est *post* indicium *addunt* **VG**, *post* mentis **cw** || 164 satagas **cr** | primus **WOBGw**: primum **PVcr**

160. II 16, 6: Verbis tuis tempus certum constitutum sit.

160[a]. *Addit* II 16, 6: et vero intellectu instructa sint omnia verba tua.

161. II 16, 8 (*post* 162): De eo, quod dicere necessarium est, loquere et quando silere decet sile. *Cf. Flor. Mon. 269: Θεανὼ ἔφη· περὶ ὧν λέγειν καλὸν, περὶ τούτων σιωπᾶν αἰσχρὸν* (*Syr. ap. Sachau Ined. 70, 17*), *καὶ περὶ ὧν αἰσχρὸν λέγειν, περὶ τούτων σιωπᾶν ἄμεινον.* I 4, 3: Tunc loquere, quando non oportet silere.

161[a]. *Addit* I 4, 3: et tempore, quod actionem postulat, ne verbo utaris, *quae sunt ὁπότε δεῖ πράττειν λόγῳ μὴ χρῶ Boiss. I 129.*

162. II *praemissa* 16, 7 *nova* (162[a]) *sententia:* Quando loqui decet, loquere neve tace *pergit* 16, 8: et de omni, quod nescis, tace neve loquere. I 4, 4 *pro his habet:* hoc enim est: cum ea sit sapientia, ut homo scienter loquatur et rursus prudenter taceat.

163. II 16, 9: Verbum intempestivum ei, qui dixit, opprobrium est, sin autem necesse est verbo uti, utere convenienter.

164. II 16, 11: In consilio conventus multorum ne primus loquaris, sed audias verba eorum. *Graeci tres pergunt: μετὰ γὰρ πλείονας λέγων ὄψει μᾶλλον τὰ συμφέροντα, Syrus autem:* Et postea quasi ex dei dono responsum da plenum (*verti ac si esset* ܟܢܫܐ *vel quod consuetudo Syriaca requirere videtur* ܕܢܫܠ ܕܟܢܫܐ; *nam neque* ܟܘܢܫܐ, in affectu, *uti antiquiores,*

165 (155) Melius uinci uera dicentem, quam uincere mentientem. *Αἱρετώτερον τὸ ἡττᾶσθαι τἀληθῆ λέγοντα ἢ νικᾶν ἀπατῶντα Porph. 14.*

165 Melius **WB**: melius est *rell.*

neque ܒܣܘܦܐ, in finem, *uti recentiores codices legunt, ferri potest*) timoris dei.

164[a]. *Addit* II 16, 13: Hominem enim scire, quando loquendum et quando tacendum sit, magna sapientia est. *Haec est sententia ante praecedentem posita apud Boiss. I 129: ἡ αὐτὴ ἐπιστήμη ἐστὶ τοῦ λέγειν καὶ τοῦ σιωπᾶν. Nisi legit Μεγάλη ἐπ., liberius vertisse censendus est.*

165. II 16, 14: Melius est hominem iure vinci, quam per nefas vincere. *His potius respondent Gregorii Naz. apud Ant. I 68 verba: κρεῖττον ἡττᾶσθαι καλῶς ἢ νικᾶν ἐπισφαλῶς καὶ ἀθέσμως.* I 4, 5: Praestat hominem vinci vera dicentem, quam mendacio vincere.

165[a]. *Addunt* II 16, 15: Homo qui vincit ita, ut alios fallat, revera vincitur, et homo, qui veritati victoriam concedit, victoriam nanciscitur per veritatem. I 4, 6: Nam qui vincit fallens, vincitur a conscientia sui. *Τὸ γὰρ νικῆσαν ἀπάτῃ ἐν τῷ ἤθει ἥττηται Porph. Marc. 14 post ipsam sent.* 165.

165[b]. *Pergit* II 16, 17: Quia verba mendacia testes improbitatis sunt ei, qui mentitur. *Μάρτυρες δὲ κακῶν ψευδεῖς λόγοι* (*ut pro λόγων recte emendavit Iacobsius*) *adiungit Porph. Marc. 14 sententiae* 165[a].

165[c]. Pergit II 16, 18: Perturbationi et angustiis mendacium non decorum est, si autem dei causa mentiris, ut malum impedias et multis prosis, non peccas iurando, quia mendacio tuo veritas inest, quae saluti hominum studet. *Est sententia apud Boiss. I 130 post* 164 *posita: Μεγάλῃ περιστάσει πρέπει ψεῦδος, quam explicare et exclusa privata utilitate mitigare conatus est Syrus. Ceterum cf. Diphilum apud Stob. 12, 12: Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ λεγόμενον οὐθὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές.*

165[d]. *Tum* II 16, 21: Neminem fallas, maxime qui a te bonum consilium petit. I 4, 7: Nunquam fallas aliquem, maxime qui a te consilium petit. *Μηδένα ἀπάτα, μάλιστα δὲ τὸν συμβουλίαν δεόμενον Boiss. I 130 post sent.* 165[c]. *Syr. I adiungit* 4, 8: Nam maledictus qui coecum in via fallit, *quae sunt e Deuter. 27, 18.*

166 (156) *Fides omnes actus tuos praecedat. *Cf.* 74.

167 (157) *Sapientia animam perducit ad deum.

168 (158) *Nihil autem tam uernaculum sapientiae, quam ueritas. *Οὐδὲν οἰκειότερον σοφίας ἢ ἀλήθεια Boiss. I 130.*

169 (159) *Numquam potest bona effici anima mendacium diligens. *Οὐ δυνατὸν τὴν αὐτὴν φύσιν φιλόσοφόν τε εἶναι καὶ φιλοψευδῆ Boiss. I 130.*

170 (160) Pravo et pessimo ingenio fides aliena est.

171 (161) Fidelis homo audire quae oportet amat magis quam dicere quae non oportet.

166 omnes *om.* **OPG**. *Pseudo-Isid.* Fides omnes actus hominis praecedere debet *Sixt. ep. 1, 3 (p. 107). Iul. ep. 12 (p. 468). Capit. Angilr. 3.* || 167 animam **Acr**: animas **WOPVBGw** | perd. anim. **G** || 168 tabernaculum **A**: tam vernaculum **cr** | nihil autem decet (deo et **P**: convenit **w**) sapientiae magis quam veritas **WOPVBw**: nil tam decet animam sapientem quam veritas **G** || 169 Numquid **A** | anima effici **G** | potest anima bona mendacium diligere **cr** || 170 *Pseudo-Isidorus:* malo enim et pravo ingenio fides aliena est *Alex. ep. 3, 18 (p. 105)* || 171 audire

165[e]. *Pergit* II 16, 22: A consilio multorum oriundum cognoscitur verum. *Similia sunt apud Ant. 1, 10: Φιλεῖ γὰρ ἡ τῶν πλειόνων συγκατάθεσις κρατύνειν τὰ νοηθέντα, sed in Graecis sine dubio fuit συμβουλία, quod adiungendae sententiae ansam dedit.*

165[f]. *Pergit* I 4, 9: Homo terrificus (*sive* timidus, *quod vocabulum cum hic non quadret, duce Isocrate ad Dem. c. 30 p. 8, c. Bens. μίσει τοὺς κολακεύοντας ὥσπερ ἐξαπατῶντας· ἀμφότεροι γὰρ πιστευθέντες τοὺς πιστεύοντας ἀδικοῦσι, certo substituendum est* perfidus, ܕܢܟܠܐ *aut similis forma*) aut adulator ut verax sit nunquam fieri potest.

166. II 16, 22: Fides autem dux est omnium bonorum.

167. II 16, 23: Sapientia autem ad deum ducit.

168. II 16, 24: Nihil sapientiae tam acceptum quam verum.

169. II 16, 24: Non enim veritatis ea natura est, ut ei adhaerere possit mendacium, neque ex eadem natura verum et mendacium proficisci possunt, quia natura veritatis libertas est nec naturam servitutis induit quae mendacium est. I 4, 10: Nam fieri non potest, ut eadem mens et verax et mendax sit.

170. *deest.*

171. II 16, 27: Si fidelis es, non tam loqui quam audire

172 (162) Uir libidinosus ad omnia inutilis.

173 (163) Inreprehensibilis autem in uerbis utitur de deo.

174 (164) Peccata discentium obprobria sunt doctorum.

175 (165) Mortui sunt apud deum, per quos nomen dei maledicitur.

176 (166) Sapiens homo beneficus post deum. *Cf.* 33. 34.

177 (167) Sermones tui uitam custodiant auditoribus. *Τοὺς λόγους σου ὁ βίος βεβαιούτω Boiss. I 130 τοῖς ἀκροωμένοις Porph. 8.*

amat quae oportet **G** | *Pseudo-Isid.* fid. h. magis diligit (*v. l.* amat) audire quae oportet quam *cet. Pont. ep. 2, 6* (*p. 148*) || 172 est inut. **G**: inut. est **cr** || 173 Irreprehensibilibus **G**: reprehensibilibus **w** | in *om.* **Gw** | utitur de deo **WOYBw**: utitur deo? **P**: deo utitur **G**: unitur deo **cr** || 174 dicentium **c** | doctoris **w** | doctorum sunt **G** || 177 viam **OP** | tuam *add. post* vitam **YGcr**, *non* **WOPBw** | commendent **cr**

velis; sed audire maioris pro veritate pretii est, quam loqui; nam in conventu fidelium utilius tibi est audire, quam loqui.

172. II 16, 30: Quicunque amat libidines apparentes, etiam eis qui non apparent corruptus est. I 4, 11: Et is qui libidines amat, osor sui ipsius est, et qui se odit, omnes homines aversatur, et qui fratrem suum odit, occisor hominum est. (*Πᾶς ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἀνθρωποκτόνος ἐστίν 1 Io. 3, 15*); etiam qui se ipsum aversatur, sui occisor est per affectus libidinum.

173. II 17, 1: Si non dignus es, ne loquaris de deo; quandocunque autem a reprehensione abes, tunc utere verbis divinis.

174. II 17, 2: Peccata eorum, qui per inscitiam peccant, opprobrium doctorum sunt.

175. II 17, 3: Mortui autem, qui deo mortui sunt, ei sunt, quorum causa nomini dei maledicitur.

176. II 17, 5: Sapiens vir autem adiutor est post deum. *Cf. App. 28, 28. Huc trahi licet Ἄνθρωπος ὅμοιον ἔχει θεῷ τὸ εὐεργετεῖν, quod cum apud Boiss. I 131 legatur, Sexto tribuendum videtur, nulli tamen alii sententiae melius respondet. Paulo variatum et amplificatum exstat tum Exc. Vind. 7 = Arsen. 189 (Demosth.) Max. 8 Rib. Ant. 1, 29. (eiusd.) tum Max. 8 (sine lemmate apud Gesnerum et Ribittum) = Arsen. 193 (Democr.). Cf. Εὐεργετῶν νόμιζε μιμεῖσθαι θεόν Greg. Naz. II 582. Max. 8. Ant. 1, 29.*

177. II 17, 6: Opera tua confirment verba tua in auribus

178 (168) Quod fieri non debet, nec in suspitionem venias quasi facias. *Ἃ μὴ δεῖ ποιεῖν μηδὲ ὑπονοοῦ ποιεῖν Stob. 1, 20 (Pyth.). Pyth. syr. 6. Thales ap. Laert. Diog. I 36. Max. 59 (Epict.). Ant. I 64.*

179 (169) Ea quae pati non uis neque facias. *Ὃ φεύγεις παθεῖν τοῦτο μὴ ἐπιχείρει διατιθέναι Stob. 5, 108 (Epict.).*

178 debet **WOVBw**: decet **Pcr**: quae — decent **G** | veniat **Vr** | facias **WPBG**: facies **Ow**: id feceris **cr** | veniat; quae enim cogitas facere, quasi facis **V** || 179 Ea quae **WOPVBG**: quod **cwr** | vis ab alio **cr** | ne ipsa facias **P**: neque id feceris **cwr**

auditorum. *Melius igitur quam Rufinus, apud quem fortasse tuam e codicibus inferioris notae addendum est, verba reddidit Syrus.*

177ᵃ. I 4, 13: Oportet ut mores tui verbis tuis respondeant coram auditoribus eorum (*Haec potius est sententia, quae apud Boiss. I 130 illam sequitur: Τῶν δογμάτων σου τὰ ἔργα ἀπόδειξις ἔστω atque quam Porph. 8 ita reddidit: τὰ γὰρ ἔργα τῶν δογμάτων ἕκαστον φέρειν πέφυκε τὰς ἀποδείξεις. Auditorum mentionem praebet Porphyrius in iis, quae adiungit: καὶ δεῖ οὕτως βιοῦν ὅστις ἐπίστευσεν, ἵνα καὶ αὐτὸς πιστὸς ᾖ μάρτυς περὶ ὧν λέγει τοῖς ἀκροωμένοις. Unde Sextus habuisse censendus est: Τοὺς λόγους — βεβαιούτω τοῖς ἀκροωμένοις. Τῶν δογμ. — ἔστω. Conferenda est similis nec tamen eadem sententia in appendicibus 13 p. 29, 1 et 9, 15*), ne te irrideant et detrimentum capiant tuque reprehendaris, quod tua causa multi laesi sint.

178. II 17, 6: Quod fieri non debet ne cogites quidem facere. I 4, 15: Quod igitur fieri non decet, neque facere neque cogitare oportet; cave ne occasionem des, ut vel in suspitionem venias te id fecisse. *Prior interpretatio, quae etiam Pythagorae Syri est, respondet lectioni ὑπονόει, quam praebet Arsenius Viol. p. 420. Ὑπονοοῦ, cum medium in usu non sit, passivum est, ut in dicto: ἄριστος κριτὴς ὑπονοείσθω ὁ ταχέως μὲν συνιεὶς κ. τ. λ. Flor. Mon. 38. al.*

179. *Deest apud Syros. Similia: Ὃ σὺ μισεῖς ἑτέρῳ μὴ ποιήσῃς. Cleobul. in coll. VII sapp. Aldina Orelli I 150. Tobit 4, 15 (ἄλλῳ).* Quodcunque tibi odiosum est, tu alteri facere noli. *Menander syriacus apud Land Anecd. syr. 1 69 v. 13. Paulo aliter, imprimis inserto σοι γενέσθαι, Exc. Vind.*

180 (170) Quae tibi facere turpe est, haec et alii inperare facienda turpissimum. *Ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν Isocr. ad Dem. p. 3. Ποιεῖν τὰ αἰσχρὰ καὶ λέγειν ὁμοίως ἀπρεπές Georg. I 75.*

181 (171) Etiam in cogitationibus mundus esto a peccatis.

182 (172) Cum praees hominibus, memento, quia et tibi praeest deus. *Ὁ βασιλεύων ἀνθρώπων καλῶς βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ θεοῦ Boiss. I 131.*

183 (173) Et iudicans homines scito, quia et ipse iudiceris a deo.

180 Ea quae **w** | est turpe **r** | alii **B** | facienda *om.* **Gc** || 178—180 **OPw** *ita interpungunt:* Quod — pati non vis. Neque facias — turpe est. haec et —. *Neque aliter locum legit Pseudo-Isidorus qui ter habet:* nec in suspitionem veniat (debet venire *v. l.*) fidelis homo ut dicat aut faciat ea quae pati non vult *Pius ep. 1, 6 (p. 118) Pont. 2, 8* (149) *Melch. 1, 5 (244)* — **W** 178 *et* 179 *ita iungit:* facias ea. quae || 181 in *om.* **G** || cog. tuis **PGcr** || 182 quia **WPVB**: quod **OGcwr** || 183 iudicans **WOBGw**: vindicans **Pcr**: indicans **V** | et ipse **WOVBw**: et **Pr**: praeest tibi deus et **G**: tu **c** | vindiceris **c**

1. Constitt. apost. 3, 15, quae utramque formam coniungunt 7, 2. Ἃ πάσχοντες παρ' ἑτέροις ὀργίζεσθε ταῦτα τοῖς ἄλλοις μὴ ποιεῖτε Max. 8 (Socratis). Cf. etiam Greg. Naz. II 558.

180. II 17, 8: Quod, si quis facit, odiosum est, odiosum etiam est, si quis dicit aut imperat. *Inde apparet, interpretes habuisse λέγειν, cui modo* dicendi (*Publil. Syr. 320 Wölffl.* Quod facere turpe est, dicere ne honestum puta), *modo* imperandi *notionem tribuerint. Redit sententia in prima utriusque libri appendice 15 p. 29, 4*: Turpe est imperare, quod ipse non facias, *et 9, 17*: Persuasus esto bona esse, quae facis et quae ab aliis postulas ut faciant.

181. II 17, 9: Quousque pertinet cogitatio tua, caveas a peccatis.

182. II 17, 10: Quia princeps factus es hominibus, etiam deus princeps tibi factus est. I 4, 17: Et si principatus tibi contingit, ne extollaris neve obliviscaris deum supra te esse. *Καλῶς igitur Sextus non habuit.*

183. II 17, 11: quia etiam eius, qui hominibus princeps et iudex factus est, iudex deus est. I 4, 18: sed scias et teneas, te ei rationem morum tuorum redditurum esse, quod si tibi

184 (174) Maius est periculum iudicantis, quam eius qui iudicatur. *Μείζων ὁ κίνδυνος δικαζομένου τῷ δικαστῇ Georg. p. 61* (*Δαυίδ*).

185 (175) Leuius est omne uulnus quam [*linguae*] uulnus. *Ξίφους πληγὴ κουφοτέρα γλώσσης Boiss. I 124. Max. 47* (*Pythagorae*).

186 (176) Possibile est uerbo fallere hominem, non tamen deum. *Ἄνθρωπον μὲν ἀπατῆσαι δυνατὸν λόγῳ, θεὸν δὲ ἀδύνατον Boiss. I 131.*

187 (177) *Non putes malum, si cum ueritatem scias uincaris in uerbo.

188 (178) *Male sentire de fide amor iactantiae facit.

325 (314) *Nulla simulatio multo tempore latebit et maxime in fide. *Οὐδεμία προσποίησις ἐπὶ πολὺν χρόνον λανθάνει Boiss. I, 133. Demoph. 23 (πολλῷ χρόνῳ). Pyth. syr. 40. Cf. Menander Mon. 547.*

326 (315) Prout sunt mores tui, talis sit et uita tua; mores enim religiosi faciunt uitam beatam. *Οἷον τὸ ἦθος ἑκάστου, τοιόσδε ὁ βίος καὶ αἱ πράξεις Demoph. 1. Pyth. syr. 11. Fere eadem Democrat. 26.*

327 (316) Qui cogitat aduersum alium mala, praeueniens

iniuste extrudat **Ur**: iniuste excludat **c**: vi extrudat **S** | in *om.* **OBJSUw** | sua *om.* **G** | tanquam *om.* **w** | a vinculis **G** | **S** *hanc et priorem sent. turbat* || 323 mortis metus **w**: mortis *om.* **Jc** | propter imperitiam **GU** | animae *om.* **w** || 324 quo] quidem quo **c**: quidem in quo **r**: in quo **JSU** | interimuntur et occiduntur **G** | melius **S** | quidem *om.* **PS** | factum *in fine om.* **JUcr** || 325 diu **S** | in fide **A**: in finem **J**: in fine *rell.* || 326 sit *om.* **JScr** | bonam vitam **G** || 327 adversum **WPVGU**: adversus

exuit, scelus suo sceleri addit: iustus autem, si corpore exuitur, duris vinculis solvitur. I 6, 14: Qui autem iustum temere interficit, per suam malitiam ei bene facit, quia iustus tanquam compedibus solvitur et mercedem oppressorum accipit; ille autem ad poenam eorum, qui iustos occiderunt, asservatur.

323. II 22, 16: Mors autem non affligit nisi animum, qui legem dei non agnoscit. I 6, 17: Metus mortis afflictat virum vilem, qui autem in se ipso bonum testimonium possidet, eam sibi optat, ut vitam habeat.

324. *Huius loco habet* II 22, 17 *sent.* 387, *quam infra confer.*

325. *Deest; pro ea legitur sent.* 334.

326. II 22, 20: Quales facis corpori tuo consuetudines, tales etiam patefacies consuetudines; consuetudines vero timoris dei hominibus in hac vita prosunt. I 6, 19: Quales sunt mores tui, talis et vita tua; boni enim mores vitam reddunt beatitudinis plenam.

327. II 22, 22: Quicunque alii malum infert, super eum venit multoties.

ipse perfert mala. *Βουλευόμενος περὶ ἄλλου κακῶς φθάνεις αὐτὸς (cod. σαυτῷ) πάσχων ὑπὸ σαυτοῦ κακῶς Demoph. 4. Pyth. syr. 11.*

328 (317) *Non te inpediat a bene faciendo homo ingratus. *Graeca habuit etiam Pyth. syr. 81.*

329 Nihil eorum quod petitur maioris pretii dignum ducas pro eo, qui accipit.

330 (318) Optime utitur facultatibus is, qui indigentibus libenter tribuit.

331 (319) Fratrem uolentem a fide discedere persuade, ne faciat, et si insanabilis est, magis conserua.

332 (320) In fide omnes homines conare uincere.

333 (321) Intellectum non prius habebis, quam intellexeris te non habere = 199.

334 (322) Sufficientiam seruare stude.

OBJScwr | praeveniens ipse **WOVBGUw**: praeveniens **J**: ipsa praeveniens **c**: ipsa praeveniens ipse **Pr** | perficit malum **U** | praev. — mala *om.* **S**|| 328 Ne te **OP**? | impediat te **w** | a *om.* **G** || 329 *om.* **GU** | petitus **Ww**: petitus dederis **V** | que pot'is maioris te pr. **S** | quam] ab **S** | Nihil rerum maioris pretii ducas, quam petit is qui accipit **Jcr**. *Legendum erit* tuorum || 330 facult. ut.? **O** | is *om.* **SU** | tribuit libenter **V** || 331 recedere **Scr** | persuadere **B** | sit **OG** || 333 intellegas **S** | *posterius* non *om.* **cr** || 334. 335 *om.* **GU** || 334 servare] habere **w**

328. II 22, 23: Ne vel ingratis beneficia dare cesses neve te a beneficiis homo malus impediat. I 6, 20: Ne te eo redigat vir ingratus, ut benefaciendo abstineas; omnis enim boni, quod ne per gratiarum quidem actionem refertur, merces tota apud deum asservatur.

329. II 22, 24: Si donum ab aliquo accepisti, stude, ut referas ei beneficium, quod tibi praestitit.

330. II 22, 26: Thesauros pretiosos possides, cum indigentibus bono animo das.

331. II 22, 27: Cuivis autem fratri, cui non persuasum est, persuade tu, ut ei persuadeatur amor dei, et eum qui nolit observa ut insanabilem (*leg.* ܡܣܝܢ *pro* ܡܣܝܒܝܢ).

332. II 22, 28: Quia virtuti semper cum omni re pugnandum est eaque in omni vincit.

333. II 22, 30: Intellectum vitae possidere non potes nisi deum amas, et de unoquoque consilio valet hoc verbum.

334. *Hic deest, sed respondere videtur, quod pro* 325 *praebet*

335 (323) Membra corporis sarcina sunt his, qui eis non utuntur.

336 (324) Ministrare aliis melius est, quam ministrari ab aliis.

337 (325) *Quem deus non emittit ex corpore, non grauiter ferat.

338 (326) *Sententiam, quae misericordiam uetat, non solum tenere, sed audire refugite.

339 (327) Qui dat aliquid et inputat, contumeliam magis quam beneficium dedit. *Μὴ ὀνειδίσῃς τὸν φίλον σου χάριτας· ἔσῃ γὰρ ὡς οὐ δεδωκώς. Σέκστου. Boiss. I 125 (ἔστιν). Max. 8 Rib. Ant. 1, 29. Exc. Vind. 45.*

335 iis qui **cwr** | eis *om.* **w** || 336 Ministrare te aliis **GU** | ministrari tibi ab aliis **GU**: ab aliis ministrari **cr** | **S** *nil nisi:* melius est non ministrare || 337. 338 *om.* **GU** || 337 e corpore **r**: a corpore **c** | in corpore retinet **S** || 338 tenere **AWOPVBJSw**: non tenere **cr** | sed et **WVBJw**: sed etiam **S** | fugire *ortum e* refugite **A**: refuge *rell.* | *Pseudo-Isid.* Sent. q. m. v. non solum tenere sed (*v. l.* sed et) audire refugite. *Calist. ep. 2, 20* (*p. 143*) || 339 dat **S**

II 22, 19: Ne cures multa, sed ut viro fideli sufficiant tibi pauca, *fortasse etiam, quod post* 344 *legitur* 23, 14: Modus omnibus tuis actionibus sit.

335. II 23, 1: Omne membrum, quod vitiosum est in corpore tuo et quo non uteris, corpori tuo onus est; ita omnes actiones, quae sine amore dei sunt, onus sunt animo. I, *postquam sent.* 398. 399 *praemisit* 6, 25: Manus, quae non laborant, onus sunt.

336. II 23, 3: Tu autem humilitatem ama; magis ama, ut aliis ministres, quam ut alii tibi ministrent. I 6, 26: et propterea melius est, homines sibi ipsi quam alios eis ministrare.

337. II 23, 4: Quicunque fidelis dei est, etiamsi corpore imperfectus sit, tibi gravis non sit.

338. II 23, 5: Ullum donum (*inepte; f. l.* ܡܕܥܐ scientia, *quo reddi potuit γνώμη*), quod benevolentiae et amoris dei non particeps est, non solum non possideas sed ne velis quidem audire; sin minus, peccatum tibi est.

339. II 23, 8: Qui alii cum exprobratione dat, haud inferior est eo, qui contumeliam facit. I 6, 27: Si donum das

340 (328) *Qui tuetur pupillos, erit multorum filiorum secundum deum pater.

341 (329) Quicquid egeris causa gloriae, haec erit merces facti tui.

342 (330) Si quid dederis ita ut hominibus innotescat, non homini, sed propriae libidini praestitisti.

343 (331) Iracundiam multitudinis ne prouoces in te. [Ὀργὴν πλήθους] μὴ παρόξυνε *Boiss. I 133, qui manca in codice verba bene supplevit.*

344 (332) Disce, quod oportet fieri, ut beatus fias. (*Cf.* 56).

340 pusillos **U** | filiorum *om.* **GU** | secundum deum *om.* **c** || 341 *om.* **GU** | haec **WOVBJSw**: hoc **Pcr** | facti tui *om.* **S** || 342 ita *om.* **GU** | innotescas? **V** || 343 non **Sw** | in te *om.* **S** || 344 bonus **B**[2]

cum exprobratione, contumeliam das. *Supra exhibenda erat sententia Graeca, qualis diserte Sexto tribuitur. Magis tamen cum Rufino et Syro conveniunt, quae Libanius I 177 (allata a Boiss. l. l.) habet:* καὶ μὴν καὶ ὅστις γε εὖ ποιήσας πολλάκις μνημονεύει τῆς χάριτος βαρύς, εἴπερ ἐγγὺς μὲν τοῦτο τοῦ ὀνειδίζειν, λυπηρὸν δὲ ἐκεῖνο.

340. II 23, 9: Quicunque orborum saluti consulit, dux est multis filiis, eis qui deum amant. I 10, 10: Cum orbi tibi curae sunt, pater eris multorum et a deo propter opera tua bona diligeris.

341. II 23, 10: Quidquid homini vanae gloriae causa das, aut ut te remuneret aut ut tibi satisfaciat, penes deum nihili tibi est; si autem propter deum facis, a deo remuneraberis. I 6, 28: Et si beneficium tribuis laudis causa, tanquam mercenarius hoc facis.

342, I 6, 29: Et quidquid alicui das ut innotescas, non homini das, sed libidini tuae.

343. II 23, 13: Ne ira utaris immoderate.

344. II 23, 13: sed disce, quod te facere decet tanquam deum timentem. I 6, 30: sed disce, quod facere oportet eum, qui beatus esse vult, et quomodo facere oportet.

Inserit hic II *sententiam* 334 *de qua vide quae supra dicta sunt, aliam autem* I:

344[a]. 7, 1: Da donum tuum occulte, ita ut uni tantum innotescas (*aut* innotescat), *cum Mt. 6, 4 convenientem.*

345 (333) *Melius est fame mori, quam per incontinentiam uentris animam maculare. *Κρεῖττον ἀποθανεῖν ἢ διὰ γαστρὸς ἀκρασίαν ψυχὴν ἀμαυρῶσαι Boiss. I 133. Max. 36 = Ant. 1, 58 (Clitarchi). Τεθνάναι πολλῷ (πολὺ) κρεῖττον ἢ δι' ἀκρασίαν (σώματος) τὴν ψ. α. Stob. 17, 27 (Pyth.). Ant. 1, 39. Flor. Mon. 21. Demoph. 39. Porph. 35. Pyth. syr. 80.*

346 (334) *Uestimentum putato esse animae corpus tuum, mundum igitur id serua. *Cf.* 449.

347 (335) *Qualia gesserit studia anima corpus inhabitans, tales habebit testes in iudicio.

348 (336) *Inmundam animam inmundi daemones sibi uindicant.

349 (337) *Fidelem animam et bonam in uia dei mali daemones non inpediunt.

350 (338) *Uerbum de deo non omni homini committas.

345 fame *om.* **w**? | perire *pro* mori *solus* **W** | incontinentiâ **GU** | veneris **w** || 346 conserva **cr** || 347 gesserit (gessit **J**) anima studia **JUcwr** || 348 sibi daemones immundi **cr** | sibi — 349 non *om.* **GU** | 349 Fidelis **WOw** | et bona in via **B** | in uidia dei **A** || 349. 50 Fidelis anima et bona verbum de deo non omni homini committit(-ttas **J**)**Jc** | 350 homini omni **G**

345. II 23, 14: Homini multo melius est fame mori, quam mole libidinum corpus (*leg.* animum) obscurare I 7, 2: Melius est prae fame mori, quam per cibum multum animum voracitate obscurare (*v. l.* quam per voracitatem multam animum obscurare). *Γαστρός inter Graecos sola collectio Boissonadii habet, qua re eius cum Sexti cognatio proditur; an etiam* fame, *quod omnes tres interpretes legerunt, in ea servatum fuerit dici non potest, cum verba in codice Parisino ab initio usque ad syllabam -ειν manca sint.*

346. II 23, 16: Scias corpus tuum vestimentum esse animi, propterea caute id conserva peccatorum expers.

347. II 23, 17: Quae animus agit in corpore, ea eum prosequuntur testimonia in iudicium. *Similia Agapet. c. 69.*

348. II 23, 18: Animo immundo daemones immundi utuntur.

349. II 23, 19: Animo bono, qui deo fidem habet, daemones mali nequaquam nocent.

350. I 7, 3: Verbum de deo non coram quolibet loquere.

351 (339) *Non est tutum audire de deo homines uanae gloriae iactantia corruptos. *Λόγον περὶ θεοῦ τοῖς ὑπὸ δόξης διεφθαρμένοις λέγειν οὐκ ἀσφαλές Porph. 15.*

352 (340) *De deo etiam quae uera sunt dicere periculum est et non paruum. *Καὶ γὰρ καὶ τἀληθῆ λέγειν ἐπὶ τούτων περὶ θεοῦ καὶ τὰ ψευδῆ κίνδυνον ἴσον φέρει Porph. ibid.*

353 (341) *De deo nihil dicas, quod non didiceris a deo.

354 (341) *Ei, qui non credit esse deum, de deo nihil loquaris.

355 (342 Uerbum uerum ut deum honora.

356 (343) Si inmunis non es a flagitiosis operibus, de deo nihil disceptes. *Οὔτε αὐτόν τινα προσῆκεν ἀνοσίων ἔργων μὴ καθαρεύοντα φθέγγεσθαι περὶ θεοῦ Porph. 15* (*post* 351. 352).

351 tunc **Uc** | de deo audire **GU** | iactantia corruptos] deditos **G**: deditos et iactantia corruptos **U** || 352 quae *et* sunt *om.* **S** | loqui **Pcr**: non loqui **J**: non dicere **S** | et *om.* **JSUGc** || 353 De deo quod non audieris (didiceris **U**) nihil dicas ab eo **GU** | a domino **WJ** || 354 Ei **AVS**: Et **WOPBJGUw**: Vel ei qui **cr** | non *om.* **P** | credit **J**: credis **GUw** | deum *om.* **J** | loquatur **B** || 356 dicas **S**

351. I 7, 4: Non enim sine periculo est, homines, quorum mens corrupta est, narrationem de deo audire.

352—355. *Desunt. Sed* 355 *in app. p. 28, 15 ita redditur:* verbum verum deo simile est.

355[a]. *Ante* 356 II *inserit* 23, 30: Quandocunque enim de deo loqueris, ita loquere, ut de divinitate ineffabili.

356. II 23, 21: Ei autem, qui non mundus est a malis operibus, nihil de deo loquaris. I 7, 5: Cum mundus non es a malis facinoribus, de deo ne loquaris.

Sequuntur apud II *quatuor sententiae novae:*

356[a]. 23, 22: In corde mundo habitat deus idque decet loqui de divinitate.

356[b]. II 23, 23: Quod eloqui os impotens est, id intellectus purus cognoscere potest, et quod intellectus tuus per spiritus revelationem assequitur, auribus fidelium committas et praecipue eorum, qui deo digni sunt.

356[c]. III 23, 25: Concredita tibi sunt arcana maiestatis; fias dispensator (*alludit ad 1 Cor. 4, 1*) fidelis, qui thesauros domini custodit.

356[d]. II 23, 26: Qui autem arcanum maiestatis adversariis regis prodit, sibi periculum mortis affert.

357 (344) Sermo uerus de deo sermo dei est.

358 (345) Si scis, quia acceptum habent de te quod diligas deum hi qui te audiunt, tunc eis loquere de deo.

359 (346) Opera caritatis dei praecedant abs te et tunc sermonem facito de deo. *Προηγείσθω τοῦ περὶ θεοῦ λόγου τὰ θεοφιλῆ ἔργα Porph. 15.*

360 (347) In multitudine dicere de deo non audeas. *Σιγάσθω ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος ἐπὶ πλήθους Porph. ibid.*

361 (348) Uerbum de deo parcius proferto magis quam de anima.

362 (348) Melius est animam perdere, quam uerbum uanum de deo proferre. *Graece habuit Pyth. syr. 91.*

363 (349) Uiri amantis deum corporis potestatem habet leo et tyrannus similiter.

357 de deo *om.* **SGU** | est dei **VGU** || 358 quia] quod **w**: qui **WO** | certum **PS** | diligis **J** | ii qui **w**: qui **Jc** || 359 opere **B** | praecedant **WOPS** (*et* **r**?): procedant *rell.* | dei *om.* **G** | abs *om.* **S** | et *om.* **w** || 360 *om.* **GU** | de deo loqui **S** | audias **c** || 361 *om.* **U** | magis *om.* **J** | magis — an. *om.* **S** | quam anima **c** || 362 prodere **WS**: prodire **J** || 363 pot. quidem hab. **V**: pot. tamen hab. **J** | corp. tantum, non autem animae pot. potest habere l. vel t. **S** | et *om.* **w** | et (*voluit* ut) leo similiter et tyrannus **V** | potestatem quidem habebis, non dominaberis vero animae; corporis quidem (habet **U**) potestatem ut leo similiter et tyrannus **GU**

357. II 26, 15: Verbum verum, quod dicit (*melius fortasse* ܕܐܡܝܪܐ quod dicitur) de deo, ut verbum dei honora, *quae conflata sunt e sent.* 355 *et* 357. I 7, 6: Verum enim de deo effatum sicut effatum dei est.

358. I 7, 7: Dilige ergo deum et tunc loquaris de deo.

359. II 26, 16: Omnia opera tua bona, quae secundum deum sunt, praecedant verba tua. I 7, 8: Et praecedant mores tui a deo probati tua de deo verba.

360. I 7, 9: *Verba, nec tamen apte, verti quidem possunt:* Et cave valde ab eo, quod in animo tuo (est) per verbum dei, *vel etiam aliter, sed aperte mutila sunt et fortasse pro* ܕܒܟܢܫܢ *olim fuit* ܕܒܟܢܫܐ: cave ne in coetu ...... [ܬܬܚܫܚ utaris?] verbo de deo. *Minus probabile est, verba* ܕܒܟܢܫܢ ܡܢ *pertinere ad* 361: quam de anima.

361—363. *Desunt.*

364 (350) Cum tibi minatur tyrannus, cuius sis tunc maxime memor esto.

365 Uerbum de deo qui loquitur his, quibus non licet, proditor dei putandus est.

366 (351) Uerbum de deo reticere praestat magis quam temere proferre. *Νόμιζε αἱρετώτερον εἶναι σιγᾶν ἢ λόγον εἰκῇ προέσθαι περὶ θεοῦ Porph. 15.*

367 (352) Qui dicit de deo ea, quae non sunt, contra deum falsum loquitur.

368 Homo, qui nihil habet quod dicat de deo, uere desertus est a deo.

369 (353) Deum non cognouit qui non colit.

370 (354) Non est uerum, quod deum colat, qui hominem laedit.

364 tibi *om.* **GU** | tibi tyr. min. **B** | tunc sis **G** | memor maxime? **P**: maxime *om.* **c** | cum max. c. sis memento **S** || 365 *om.* **VB** (?) | qui loquitur de deo **GU** | iis **cr** | his — 367 de deo *om.* **w** | est *om.* **S** || 366 de deo] dei **G** | magis *om.* **G** | plus praestat quam **U** || 367 de deo] contra deum **GU** | ea *om.* **PG** | deum **WOVGUw**: eum **PBSr** | falsa **U** | Qui dicit de deo ea: quae non sunt contra eum; falsum non loquitur **c** | sunt. falsum de eo testimonium loquitur **S** || 368 quid **OP** | ab eo **S** || 369 coluit **c**

364. II 26, 17: Quando tibi vir tyrannus iratus est, maxime nitere in deo.

365. II 26, 18: Quicunque verbum, quod non decet, de deo loquitur, tanquam proditor habeatur. I 7, 9: Qui enim verbum dei ei cui non decet loquitur, tanquam proditor domini sui a te habeatur.

366. II 26, 19: Melius homini est tacere, quam temere de deo aliquid loqui.

367. *Deest.*

368. I 7, 11: Vir, qui nihil habet, quod de deo dicat, revera dei expers est.

369. I 7, 12: Non enim sine timore dei deum cognoscere licet.

370. II 26, 20: Nemo enim, qui hominibus nocet eosque affligit, deum cognoscere potest. I 7, 12: neque deum quis timere potest sine misericordia erga dolores (*leg.* ܟܐܒܐ *pro* ܟܐܒ̈ܐ) animo afflictorum.

371 (355) Fundamentum et initium est cultus dei, amare homines. *Κρηπὶς εὐσεβείας σοι νομιζέσθω ἡ φιλανθρωπία Porph. 35. Pyth. syr. 44.*

372 (356) Qui hominum curam gerit et orat deum pro eis, iste uere a deo esse putandus est.

373 (357) Dei proprium est saluare quos dignos iudicat.

374 (358) Cultoris autem dei est orare deum pro salute hominum.

375 (359) Cum oranti tibi praestitum fuerit, quod poposcisti a deo, tunc tibi potestatem permissam a deo intellege.

376 (360) Dignus deo homo deus est in hominibus. *Ἄξιος ἄνθρωπος θεοῦ θεὸς ἂν εἴη Porph. 15. Pyth. syr. 4. Cf. sent. 3.*

377 (361) Melius est non habere, quam multa habentem nemini inpertiri.

371 est et initium **G** | dei amare dei homines **r** || 372 vere] vero **WB** | a *om.* **G** | esse *om.* **Ucw** || 373 est *om.* **S** | eos quos **w** | dignos *om.* **U** || 374 Ultoris **P** | autem *om.* **S** | deum *om.* **GUc** || 375 id quod **w** | poposceris **S**: poposci **c** | a deo *in fin. om.* **GUc** | datam **S** || 375 tunc — 376 deo *om.* **w** || 376 et in **Or** | in omnibus **S** || 377 non] nihil **VGUcr** | habendo **S** | impertire **JU**: impartire **w**: dare **S**

371. II 26, 21: Quia initium timoris dei amor erga homines est.

372. II 26, 22: Quicunque enim homo continuo hominum curam gerit et pro eis precatur, in veritate dei (*sed leg.* ܒܫܪܝܪܐ revera divinus) exsistit I 7, 13: Qui hominum curam gerit et pro omnibus ut resipiscant precatur, is revera a te divinus putetur.

373. II 26, 23: Deus potestatem habet salvos reddendi quos vult.

374. II 26, 24: Hominis autem, qui deum timet, est deum precari, ut omnes homines salvos reddat.

375. II 26, 25: Quandocunque precatio, quam feceris, coram deo accepta est, scias et videas te donum a deo accepisse.

376. II 26, 27: Quicunque enim deo dignus est, deus est inter homines. *Addit:* Deus enim et filius dei eodem loco habentur atque spiritus sanctus, *quo ad offensionem effugiendam significet, nominis divini de homine in his sententiis usurpationem nil indicare, nisi hominem spiritu divino imbutum esse.*

377. II 26, 29: Melius est hominem nihil possidere, quam possidere aliquid, quod non cum multis communicet.

378 (362) *Si non das egentibus cum possis, non accipis a deo cum poposceris. Ὁ μὴ διδοὺς δεομένῳ [ἐκ τῶν ἐνόντων] οὐδὲ αὐτὸς λήψεται δεόμενος *Max. 7 (Democr. Isocr. et Epict.). Ant. 1, 27. Flor. Mon. 56. Pyth. syr. 51, qui* ἐκ τῶν ἐνόντων *in verbis habent, quae praemittunt. Cf.* 217.

379 (363) *Qui ex animo dat cibum indigenti, parum quidem est quod dat, sed magna fiet ei bonae uoluntatis retributio.

380 (364) *Deum qui putat esse et nihil ab eo curari, nihil differt ab eo, qui non crediderit esse deum.

381 (365) *Optime honorat deum ille qui mentem suam, in quantum fieri potest, similem facit deo. *Τιμήσεις τὸν θεὸν ἄριστα, ὅταν τῷ θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς Flor. Mon. 14. Anton. 1, 7. Porph. 16. Hierocl. ad c. aur. 1. p. 24 Needh. Pyth. syr. 79. Cf.* 48.

382 (366) *Deus quidem nequaquam indiget, laetatur autem super hos, qui indigentibus tribuunt. *Θεὸς δεῖται οὐδενός; reliqua Graece habuit Pyth. syr. 51. Cf. sent.* 49.

378 egentibus] hominibus **GU**: egenti **cr** | poscit **r** | accipies **WJSUw** | quod **S** | poposceris **Acr**: poscis **G**: petieris **WPBVJSw**: peteris **O**: non poteris **U** || 379 parum] pauperum **A** | fiet ei **AOcr**: ei fit **G**: fiet et **P**: fit et **WB**: sit et **w**: fiet **J**: fit **S**: fiet eius **U** || 380 *om.* **GU** | creari **c** | defert **A**: differri **OP** | ab *om.* **WOB** | ab eo differt **c** | credederit **A**: credit *rell.* || 381 honora **A** | ille *om.* **BJUc**: deum ille **G** | quantum **PJ** | fieri *om.* **GU** | in q. praevalet **S** | s. deo facit **SGcr**: facit deo s. **U** || 382 eget? **V** | hos **A**: iis **w**: his *rell.*

378. II 26, 30: Qui autem multis dare potest nec dat, imprimis indigentibus, neque accipit quod a deo petit.

378[a]. *Addit* II 27, 1: quia deus dator datoribus dona dat.

379. II 27, 2: Qui autem cibum pauperibus ex animo dat, eius donum inter homines exiguum est, voluntas autem a deo magni habetur.

380. 381: *Desunt, nam quae eorum loco apud* II *leguntur, aliena putanda sunt:*

381[a]. 27, 4: Deus enim non eius est qui verba solum loquitur, sed eius qui facit, quod lingua loquitur.

382. II 27, 5: Deus enim neminis indiget, laetatur autem eis qui indigentibus dant. *Ex hac et s.* 49 *conflata sunt, quae habet Agapetus c. 63, male apud Max. 9. Anton. 2, 1 Philoni ascripta:*

383 (367) Fidelium pauca sint uerba, opera autem multa.

384 (368) *Fidelis, qui libenter habet doceri, operarius efficitur veritatis.

385 (369) Praepara et apta te ad tribulationes et lactus eris. *Ἁρμόζου πρὸς τα . . . . . . εὐθυμῆς Boiss. I 133.*

386 (370) *Neminem laedens nullum timebis.

387 (371) Tyrannus beatitudinem non auferet.

383 *De vera lectione collato Syro dubium esse nequit.* paucas (*vel* paueas) inter uerba **W**: pauea sint uerba **P**: paucas inter uerba **O**: paucas (*vel* paueas) int' uerba **V**: int' verba paucas **S**: Inter fidelium verba paveas operare autem multa **w**: pauca sunt verba **BGc**: autem (āt **J**) sunt verba **JU**: pauca sint verba **r** | operae autem multa **B**: o. a. plurima **GU**: autem *om.* **S** | Fidelis *ex initio sequentis sententiae huic adiungunt* **JSc** || 384 libenter habet doceri **A**: libenter doceri **O**: libenter docetur **P**: vult doceri **V**: libenter docet **WBJGUcw**: libenter vult doceri **r** | operarios **AG**: operius **O**: operosius **P**: operator **S** | efficietur **VBcr** | veritas **P** || 385 lenis **c**: securus et lactus **S** || 386 tenebis **G** || 387 aufert **JGUcwr**

ὁ μὲν θεὸς οὐδενὸς δεῖται· ὁ βασιλεὺς δὲ μόνου θεοῦ. Μιμοῦ τοίνυν τὸν οὐδενὸς δεόμενον καὶ δαψιλεύου τοῖς αἰτοῦσι τὸν ἔλεον.

383. II 27, 6: A fidelibus autem hoc requiritur, ut verba eorum sint pauca et opera multa.

384. II 27, 8: Sapiens vero, qui doctrinam amat, operarius fidelis deo est.

385. *Graecam sententiam in codice mutilatam huc trahere non dubito; τα ... cum accentu careat, non τάς, sed fortasse ταλαιπωρίαν vult; reliqua ni fallor erant ὅπως ἐν αὐτῇ vel similia.* II 27, 9: Certamen ini contra haec (*vocabulum* haec *non habet quo referatur*) omnia, ut fias fidelis et apud deum honoratus. *Propius accedit* II 25, 11: Quicunque animus subactus non est calamitatibus, per calamitates demissus fit.

386. II 27, 10: Quod homini noxium est nunquam facias, et a nemine timebis.

387. II 27, 11: Quia si omnia, quae possides, abs te aufert mundus, timorem dei a te auferre non potest. *Facile foret Syrum cum Rufino concordem reddere, si pro* ܥܠܡܐ mundus *legatur* ܥܠܘܡܐ oppressor. *Sed Syrum potius sententiam apud Boiss. p. 133 inter* 385 *et* 399 *exhibitam expressisse puto: περιστάσεις εὐδαιμονίαν οὐδαμῶς ἀφαιρ[οῦνται, nam in cod. est lacuna] et Rufinum aliud quid legisse.*

388 (372) Quod fieri necesse est, uoluntarie facito.

389 (373) Quod non oportet fieri, nullo modo facias.

390 (374) Omnem magis causam refer ad deum.

391 (375) Nemo sapiens uir est, qui deorsum respicit in terram et mensas.

392 (376) *Philosophi libertas non sit in nomine, sed in anima.

393 (377) Mentiri in uita decipere est et decipi.

394 (378) Quid sit deus agnosce et quid in te quod agnoscit deum.

388 facito] sacrificato **r** || 389 n. m. facito **U**: non facias **S** || 390 causam magis **w** || 391. 392 *om.* **GU** | 391 et in mensas **B**: in mensas **P**: Immensa **Jcr**, *qui cum sequente sententia* 392 *iungunt, quam* **cr** *mutato* nomine *in* homine, *vesanę legunt:* Immensa philosophi libertas non sit in homine sed in anima || 393 in vita *om.* **S** || 394 Quid —

388. II 27, 12: Quodcunque scis fieri debere, voluntarie facias. I 7, 15: Quod igitur agi oportet, cum bona voluntate fac.

389. II 27, 13: et quod fieri non decet, omni modo operam da ut non facias. I 7, 16: quod autem agi non oportet, nulla ratione agas.

389[a]. *Addit* II 27, 14: In omni re confitere hominibus, te exiguum et debilem esse, cum amore dei plenus es.

390. II 27, 15: Quidquid boni facis, scias et videas, causam huius boni quod facis deum solum esse, retributorem. *Sic: sed ultimum vocabulum apparet male additum esse.* Magis, *μᾶλλον, apud Rufinum explicari quidem potest, sed num apte dubito.*

391. II 27, 17: Quicunque sapiens est, non semper respicit quae in terra sunt et quae ad mensas (*pluralem praebet optimus cod. H*) solum pertinent, sed res spiritales et ea, quae ad mundum futurum pertinent, respicit. I 7, 16: Non est sapiens, cuius mens sollicita est de terra et de cibis et (*leg.* nec) mentem sinceram et cibum perfectorum assequi potest.

392. II 27, 19: Sapiens autem non e verbis suis cognoscitur sapiens esse, sed ex operibus.

393. II 27, 20: Quantum potes te a mendacio custodi, ne tu decipiaris aliosque tecum decipias.

394. II 27, 21: Cognosce, quis sit deus, et disce quis in te dei intellegentiam habeat.

395 (379) Dei opus bonum homo bonus.

396 (380) Sine deo sunt hi, pro quibus uerbum dei maledicitur.

397 (381) Animam mors non perdit, sed mala uita. *Ψυχὴν θάνατος οὐκ ἀπόλλυσιν, ἀλλὰ κακὸς βίος. Σέκστου. Max. 36 Rib. 53. Ant. 1, 58 (Philist.).*

398 (382) Si scis, a quo factus es, et temetipsum agnoscis.

399 (383) Non est secundum deum uiuere nisi pudice et bene et iuste quis agat. *Οὐκ ἔστι κατὰ θεὸν ζῆν ἄνευ τοῦ σωφρόνως καὶ καλῶς καὶ δικαίως πάντα πράττειν. Σέκστου. Io. Dam. π, 17 p. 656. Boiss. I 134 (ubi εὐκλεῶς pro κατὰ θεόν).*

et *om.* **S** | quod agn. deus **SG** | *Signum interrogationis addit* **W**, *cui respondetur verbis* Dei opus bonum || 395 homo bonus **VGUr** *cum Syro: om.* **WOPBJScw** | 394. 395 **Jc** *et* **w** *ita habent:* Mentiri in vita decipere est: et mentiri (decipi **w**) quid sit deus agnoscit (agnoscat **w**). Et quid est in te quod agnoscit deum dei opus bonum || 396 ii **w** | hi qui verbum dei maledicunt **GU** || 397 vita mala **WOVBJSU** | tollit **c** || 398 Si agnoscis **S** | est **V**: sis **GU** | te ipsum **r**: te ipsum non **c** || 399 et bene *om.* **OS**: et *om.* **W** | quispiam **w**: si quis **Jc**

395. II 27, 22: Dei opus optimum est homo bonus, et boni hominis opus (est) quod deo placet.

396. II 27, 23: Daemones (ܕܕܝ̈ܘܐ *ita antiquissimus codex; reliqui* ܕܕܘ̈ܝܐ miseri *quod si vera Syri lectio est explicanda videtur e mendo codicis Graeci ἄθλιοι pro ἄθεοι praebentis*) autem sunt omnes, propter quos nomini dei maledicitur.

397. II 27, 24: Animum mors non interficit, sed interficiunt eum opera mala, quae facit; et vivit et punitur. *Sed eandem sententiam iam loco sent.* 324 *ita exhibuerat* 22, 17: Mors vero corporalis corpus interficit et scelus atque peccata animum interficiunt; non enim ulla est necessitas, quae mentem fidelis tentet.

398. II 27, 26: Prout veri cognitionem adipisceris, te ipsum cognoscere potes, si vis. I (*cum sequente inter* 328 *et* 335) 6, 22: Ut scias ad quod creatus es, nosce te ipsum et stude ut omnes homines superes sinceritate mentis tuae. (*Cf. app. II, 2 p. 30, 7.*)

399. II 27, 27: Nemo autem coram deo vivere et eius voluntati satisfacere potest sine pudicitia (*σωφροσύνῃ*). I 6, 24: Nam deo placere non potes sine pudicitia et probitate et bonis operibus humanitatis.

400 (384) Hominum infidelium uita obprobrium est. *Ἡγοῦ . . . τῶν ἀμαθῶν ὄνειδος εἶναι τὸν βίον Demoph. 20. Pyth. syr. 33.*

401 Ne te praetereat et malo ingenio uerba dei committas.

402 (385) *Animam de terra fides eleuat ad deum. *Μόνη ἀρετὴ τὴν ψυχὴν ἄνω ἕλκει καὶ πρὸς τὸ συγγενές Porph. 16. Flor. Mon. 14 (om. ἄνω). Ant. 1, 7. Pyth. syr. 79.*

403 (386) Animae sapientis magnitudinem non reperies, sicut nec dei quidem.

404 (387) *Quaecunque dat mundus, nemo firmiter tenet.

405 (388) *Quaecunque dat deus, nullus auferre potest. *Δῶρον θεοῦ ἀναφαίρετον Demoph. 1. Pyth. syr. 3.* = 92.

406 (389) Diuina sapientia est scientia.

401 *om.* **O**? **SGU**: Ne te praetereat et *om.* **Jc** | et *reliqui omnes* **WPBrw** *et* **V**, *in quo punctis infra positis improbatur atque supra scriptum est* ut | ne committas **cr** || 402 fidelis **w** | allevat **G** || 403 *om.* **GU** | ne dei **WBw** | quidem *om.* **Jc** || 404 *om.* **SU** | dat deus haec homo **G** || 405 nemo **Gcr** | auferet **J**: aufert **c** || 406 *om.* **GU** | scientia] sapientia **B** | vere (vera **J**) est scientia **Jcr**

400. II 27, 28: Opera autem eorum, qui non sunt fideles, opprobrium sunt doctorum eorum. *Ultimam vocem e sent.* 174 *male ascivisse videtur.*

401. II 27, 29: Nunquam verbum dei hominem fallaciter doceas. *Latinis verbis medelam non habeo.*

402. II 27, 30: Animum fidelem fides elevat ad deum. I 7, 18: Veri enim cognitio animum de terra tollit et trahit (*legendum est* ܢܓܕܐ *ἕλκει*) super coelum et versus deum. *Postquam vox* ܢܓܕܐ trahit *in* ܦܓܪܐ corpus, *ut antiquissimi duo codices praebent, corrupta est, posteriores librarii ineptam sententiam emendare voluerunt; alius igitur scripsit* et e corpore super coelum statuit, *alii* et evolat ܦܪܚܐ, *alius vocabulum omisit. Non autem iungi possunt diversarum lectionum partes* ܘܦܓܪܐ *et* ܡܫܡܫܐ ܠܗ.

403. II 28, 1: Magnitudinem animi fidelis assequi non potes, sicut nec magnitudinem dei assequi potes.

404. *Deest.* 405. II 28, 2: Quidquid deus tibi dat, homo auferre non potest.

406. II 28, 3: Sapientia enim dei est scientia quae de deo (*πρὸς θεὸν*) est. *Latina manca aut transposita videntur;*

407 (390) Inmundae animae ne audeas loqui experimentum de deo. = 451.

408 (391) Uiri periculum in operibus primo et sic in uerbis facito. *Πεῖραν ἀνθρώπου ἐκ τῶν ἔργων μᾶλλον λάμβανε ἢ ἐκ τῶν λόγων Demoph. 36. Ant. 2, 32. Pyth. syr. 62.*

409 (392) Aures tuas non omnibus committas. *Τὰ ὦτά σου μὴ πᾶσιν ὕπεχε Boiss. I 134. Max. 15 Rib.* (*addit λόγοις*). *Ant. 1, 48.*

410 (393) Opinari quidem de deo facile ab omnibus est, dicere autem ueritatem de deo soli iusto permittendum est.

411 (394) Non cruciet anima tua corpus tuum neque animam tuam cruciet libido corporis.

412 (395) Insuesce te ipsum corpori quidem praebere, quae sua sunt, caste, et animae, quae sua sunt, pie.

407 Immunda anima **WOBSw** | experimentum *om.* **O** | a deo **S**: non audes loqui de verbo dei **G**: non audeas loqui deo **U** || 408—12 *om.* **GU** || 408 *Supra* periculum *in* **P** *scriptum est* ·i· probationem, in **S** *sententiae assutum* | primo *om.* **c** | et sic] sicut **r** || 410 Operari *omnes, sed* **P** *optime emendavit superscripto* in *et* **S** *praebet* opinari | ab omnibus **WOPVBJw**: omnibus **Scr** | est *om.* **w** | veritatem *om.* **Vcr** | permittendum] donatum **S** || 411 tua *om.* **S** | tuam *om.* **S** | *secundum* cruciet *om.* **PScr** | c. tui **J** || 412 quidem *om.* **PS**: quidem corpori **cwr** | *prius* sua *om.* **B** | animae quoque **w**

vix enim dubium est, quin respondeat ὁ σοφίαν ἀσκῶν ἐπιστήμην ἀσκεῖ τὴν περὶ θεοῦ Porph. Marc. 17. Max. 17 (*Democr., Isocr. et Epict. sec. Ribitt.*) *Pyth. syr. 72.*

407. *Deest.*

408. II 28, 4: Tenta primum opera hominis et tunc verbis eius fidem habeas. I 7, 20: Ante verba hominis ex operibus eius tentamen sume.

409. II 28, 4: Ne auris tua cuique sermoni fidem habeat. I 7, 21: Ne cuique confidas aurem tuam.

410. II 28, 5: Aliquem autem de deo sciscitari facile est; vere autem loqui de deo solius prophetae et iusti est. I 7, 21: Veritatem (*dele* ܫܪܪܐ, *ab optimis testibus reprobatum*) dicere iusti tantum est.

411. II 28, 7: Ne crucies corpus tuum libidine animi neve animum crucies libidinibus corporis.

412. II 28, 8: Omne quod corporis est, da corpori caste

413 (396) *Pasce animam tuam uerbo dei, corpus uero simplicibus cibis.

414 (397) *In illis insuesce gaudere animam tuam, in quibus recte gaudet.

415 (397) *Anima quae in rebus nullis gaudet indigna est apud deum.

416 (398) *Sapientis anima deo aptatur a deo. Ψυχὴ σοφοῦ ἁρμόζεται πρὸς θεόν, (*etiam Max. 53. Ant. 1, 53*).

413 de verbo **G** | et corpus **Jcr** | simplicioribus **SG** || 414 gaudere animam tuam **AWVJSw**: animam tuam gaudere **OBGU**: gaudens animam tuam **P**: animam tuam gaudens **r**: animam tuam **c** | gaudet deus **A**: gaudeat **Jcr** || 415 in rebus nullis **A**: in illis rebus **WOPB**, *sed* **P** *supra scripto* vel ul: in nullis rebus saeculi **V**: nullis rebus **GU**: iniquis rebus **Jcr**: in vanis rebus **S**: in praesentibus rebus **w** | digna **V**: immunda **S** || 416. 417 *om.* **Sc**, 417 **J**, 416 *post* 417 *ponunt omnes praeter* **A**, *quem confirmat Porphyrius* || 416 anima deo aptatur a deo **AWOPB**: anima aptatur deo **V**: anima deo aptatur **J**: anima aptatur a deo **wr**: anima coaptatur (a **G**) deo **GU**

et verum dei timorem da animo. I 7, 22: Assuesce corpori caste quod ei convenit tribuere et animo rursus fideliter quod ei debetur.

413. II 23, 28: Pasce animum tuum verbis divinis et corpus tuum simplicibus cibis. I 7, 23: Animum vero tuum pasce verbo dei et corpus quoque tuum simplicibus cibis. *Confer* ὅ ἐστιν ἐν σώματι τροφή, τοῦτο ἐν ψυχῇ λόγος. *Greg. Naz. Or. XVII p. 266. Georg. p. 68.* 'Verbum dei' *habes in sententia* ῥώννυσι μὲν οἶνος σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν λόγος θεοῦ *Max. 30 (Evagrii). Nil. 17. Io. Damasc. o, 6. Longius absunt, quae Porphyrius c. 25 ait, mentem animae quasi corpori suo e lege divina alimoniam supportare.*

414. II 23, 29: Vive moderate, sicut deum timentem decet. I 7, 24: Consuefac animum tuum gaudere de quibus gaudere licet, et dolere de quibus merito doleas.

415. II 23, 30: Animus, cui paucum aliquid sufficit, a deo honoratus est. I 7, 26: Animus enim, qui de minimis gaudet et vilibus affligitur, a deo contemnitur.

416. II 24, 1: Animus iusti desponsatus est deo. I 7, 27: Animus iusti ante deum semper obversatur. *Apud Rufinum, si veterum codicum in tractando vocum exitu* -um *morem respi-*

417 (398) *Sapientis anima semper intuetur deum. *ἀεὶ θεὸν ὁρᾷ,*

418 (398) *Sapientis anima semper est cum deo. *σύνεστιν ἀεὶ θεῷ Porph. 16.* = 55. 144.

419 (399) Cor diligentis deum in manu dei stabilitum est.

420 (400) Animae ascensus ad deum per uerbum dei est.

421 (401) *Sapiens sequitur deum et deus animam sapientis.

422 (402) *Gaudet rex super hos quos regit, gaudet ergo et deus super sapientem. *Εἰ δὲ χαίρει τῷ ἀρχομένῳ τὸ ἄρχον, καὶ θεὸς σοφοῦ κήδεται Porph. 16.*

423 (402) *Inseparabilis est ab his, quos regit, ille qui regit, ita ergo et deus ab anima sapientis, quem tuetur et regit.

424 (403) *Dispensatur a deo uir sapiens et ideirco beatus est. *καὶ διὰ τοῦτο μακάριος ὁ σοφός, ὅτι ἐπιτροπεύεται*

417 intuetur **A**: audit *rell. omnes* || 418 est *om.* **B** || 419 diligens **GU** || 420 dei verbum **Gcwr** | est *om.* **S** || 421 continet in se **S** | deum] verbum **G** || 422 hos **A**: iis **w**: his *rell.* | ergo *om.* **SU** | et deus **AWOVBSGUw**: deus **PJcr** | sapientem **AWOPVJSGcwr**: sapiente **BU** || 423 est **AWSUwr**: *om.* **Jc**: est et (?) **OPVBG** | quem **AWOBJw**: quam **PVGcr** | ita — regit *om.* **SU** || 424 est *om.* **c**

cis, facile restitues ad deum; *postquam* a deo *scriptum erat, addendum videbatur* deo.

417. II 24, 1: Animus iusti continenter videt deum.

417[a]. *Addit* II 24, 2: Animus iusti perpetuo paratus est voluntatem dei facere.

418. II 24, 2: Animus iusti semper cum deo habitat. I 7, 27: et est apud deum perseveranter.

419. II 24, 3: Animus eius, qui deum amat, in dei manu positus est.

420. II 24, 4: Via ascensus animi ad deum per verbum dei est.

421. II 24, 5: Iustus semper deo adhaeret eoque gaudet. *Ultimam vocem ascitam esse apparet e sent.* 422 *quae interiit.*

423. I 7, 28: Et sicut moderator ab operariis animum non avertit, sic etiam deus moderatur iustum et curat, quae eius sunt.

424. I 7, 29: et propterea beatus est, quia deus eius curam gerit.

ὑπὸ θεοῦ Porph. 16. post 422. *Μακάριος, οὗ ὁ θεὸς κηδεμών ἐστιν Boiss. I 134.*

425 (404) *Anima sapientis probatur a deo per corpus.

426 (404) *Non lingua sapientis probabilis est apud deum, sed mens. *Οὐχ ἡ γλῶττα τοῦ σοφοῦ τίμιον παρὰ θεῷ, ἀλλὰ τὰ ἔργα Porph. 16. Demoph. 6. Pyth. syr. 13.*

427 (405) *Sapiens uir etiam cum tacet honorat deum. *Σοφὸς ἀνὴρ καὶ σιγῶν τὸν θεὸν τιμᾷ. Porph. ibid. Demoph. 6.* Sexto *ascribunt Max. 20 Rib. Ant. 1, 73. Io. Dam. γ 14 p. 424 et addunt εἰδὼς καὶ διὰ τί σιγᾷ.*

428 (406) *Uentrem et ea, quae sub aluo sunt, qui non continet non est fidelis.

429 (406) *Homo incontinens polluit deum.

425. 426 *om.* **GU**. *Apud* **WOPVBJS** *ita sonant:* Anima sapientis probabilis est apud deum sed et mens (eius *addit* **J**). *Eadem, sed* apud deum est *praebent* **cr**, **w** *autem etiam* sed et mens *om.* || 427 vir *om.* **S** | etiam *om.* **GU**: et **Scr** || 428 Venerem **r**: ventrem et gulam **S** | non continens **cwr** | nec est fidelis **c**: nec fidelis **r**

425. II 24, 6: Animus iusti tentatur a deo per corpus, ut praestans fiat. I 7, 30: Animus iusti per corpus suum a deo exploratur, non ut innotescat ei, sed ut nobis se manifestet.

426. II 24, 6: Non lingua sapientis a deo magni aestimatur, sed eius intellectus. I 8, 1: Non sermo sapientis deo acceptus est, sed proba mens.

427. II 24, 7: quia homo sapiens quanquam tacens a deo honoratur. I 8, 2: Vir enim sapiens quanquam silens deum honorat.

428. II 24, 8: Quicunque animum suum a cupiditate ventris non coercet, non est perfectus. I 8, 3: Qui libidines corporis non vincit, revera fidelis non est.

429. II 24, 9: Quicunque non coercet animi impetum, animum sibi a deo datum immundum reddit. *Respondere puto Porphyrii verba sententiae* 427 *proxime iuncta Marc. 16: ἄνθρωπος δὲ ἀμαθὴς καὶ εὐχόμενος καὶ θύων μιαίνει τὸ θεῖον (Demoph. 7. Pyth. syr. 14); in Sexto Graeco male exciderant voces εὐχόμενος καὶ θύων, necessariae, cum sine eis μιαίνει τὸ θεῖον vix apte dictum esset. Pro ἀμαθής habuisse videtur ἀκρατής.*

430 (407) *Hominem scientia dei paucis uerbis uti facit. *Βραχὺν λόγον μάλιστα ἡ θεοῦ γνῶσις ποιεῖ. Σέξστου. Georg. 18. Porph. 20* (*om. μάλιστα*).

431 (408) *Multis uerbis uti de deo ignorantia dei facit.

432 (409) Homo qui deum scit non multa ambitione utitur.

433 (410) Qui electus dei est, facit quidem omnia secundum deum, esse autem se ipse non iactat electum.

434 (411) *Fidelis homo semper in metu est, usquequo eat ad deum.

435 (412) *Homo, qui secundo satiatur cibo nec dormit nocte, concubitum non effugit, sed ne apud deum quidem dignus est.

430 *om.* **GU** | uti (ut **c**) facit paucis verbis **Jc** || 431 dei *om.* **J** dei facit] est **c** || 432 dei cognitionem habet? **P** || 433 ipsum **OVJcwr**: *om.* **U** || 434 Fidelis autem h. **GU** || 435—7 *om.* **GU** || 435 secundo] in hoc saeculo **S** | nec dormit **AV**: non dormit *rell.* | nocte **AJ**: noctu *rell.* | concubitum non **A**: nec concubitum **Vr**: nec cubitum **BJS**: nec cubitum non **OP** (*hic tamen ita ut* non *supra scriptum sit*): nec cubitu non **W**: nec cubito nec **w**: nec cibum **c** | sed ne **Aw**: sed nec *rell.* | dignus est apud deum **Jcr**

430. II 24, 11: Omnis homo, in quo cognitio divina est, eo cognoscitur, quod non multa loquitur, sed multa quae cogitat paucis dicit. *Ad quae conferenda sunt Pythagorae μὴ ἐν πολλοῖς ὀλίγα λέγε, ἀλλ' ἐν ὀλίγοις πολλά Stob. 35, 8.*

431. II 24, 13: Hoc enim homo cognitionem non habere cognoscitur: e multis verbis.

432. II, 24 14: Quicunque enim deum cognoscit, non edit plura verba quam opera. *De* I *vid.* 433.

432[a]. *Addit* II 24, 15: Animum superbum humiliat deus, animum humilem elevat deus. *Argumentum in libris sacris frequens nusquam tamen eisdem verbis expressum. Cf. etiam* 284[a].

433. II 24, 16: Electus dei quidquid facit mensura et pondere facit secundum voluntatem dei nec animum suum elevat, se electum esse professus. *Apud* I *sententiae* 432 *et* 433 *propter lacunam conflatae esse videntur* 8, 4: Nam qui deum cognovit .... omnia secundum dei voluntatem agit.

434. II 24, 17: Apud omnem fidelem deum timentem vere manet timor dei et probe agit, usque dum diebus suis completis abeat ad deum.

435. II 24, 20: Quicunque bis die edit et satiatur, is vero,

436 (415) *Sapientem fatum non facit; gratia enim dei fato non subiacet; alioquin et deus.

437 (413) *Grauiter accipit libidines corporis uir fidelis.

438 (414) *Fidelis uir continentia pascitur.

439 (416) Agnosce, qui sunt filii dei in creaturis eius, et honora unumquemque pro merito post deum.

440 (417) Nihil proprium dei ducas quod malum est.

441 (418) Fidelis anima casta et sapiens propheta ueritatis dei est.

436 fatuum **Λ** | *Ut supra factum est, interpungit* **Λ**; *verba* alioquin et deus *cum sent.* 437 *coniungunt reliqui, unde* viri fidelis *scripsit* **V**, vir fidelis *omiserunt* **WOPBJScwr** | accepit **S** || 438 Sed *praemittit* **S** | homo **U** || 439 *om.* **GU** | sint **w** | un. pro mer. hon. **P** || 440 ducas **WPBJSw**: deducas **O**: dicas **VGUcr** || 441 et casta **PV** | virtutis **c**|

etiamsi solus dormiat, vexationis et pugnae expers esse nequit, sed nec dignus est apud deum. *Latina vix sana sunt atque imprimis offendit negatio verbo dormiendi adiecta, quam neque Syrus agnoscit, neque Hierocles ad carm. aur. 9: γαστὴρ ἄγαν πληρουμένη ὕπνον πολὺν ἐπάγεται· ἀμφότερα δὲ ἀφθονίαν παρέχεται σπέρματος, ἥτις ἀμέτρως ἐγείρει πρὸς ἀφροδίσια, quae ex eodem atque Sexti sententiam fonte fluxisse probabile est.*

436. II 24, 22: Vir fidelis non observat sortem et nativitatem. *Haec e Sexti qualia Rufinus exhibet verbis effici potuerunt. Disertius Boiss. III 473: Φοβοῦ ὡροσκοπῆσαι. Conf. etiam Μαντικὴ ἀνδρὸς σοφοῦ εὐβουλία Boiss. I 134. Vix comparandum erit: . . τυχὴ δὲ φρόνησιν οὐ ποιεῖ Max. 2 Rib. Ant. 1, 8 (Πλουτάρχου). Flor. Mon. 29. Georg. I 96 (supplendus e reliquis).*

437. II 24, 22: Virum sapientem si impugnant cupiditates corporis, facile eas exstinguit.

438. II 24, 23: Vir fidelis semper coercendo corpori operam dat.

439. II 24, 24: Decet te opus et creationem dei nosse et unumquemque post deum pro merito honorare.

440. II 24, 25: Numquam in cogitatione tua admittas mala homini a deo esse, sed aut a peccatis aut a cupiditatibus homo tentatur. *In eis quae addidit respexit Iac. 1, 14: ἕκαστος πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας.*

441. II 24, 27: Mundus et sapiens animus propheta est veritatis dei et semper verum loquitur.

442 (419) Non amabis deum, si non habueris in te aliquid simile dei.

443 (420) Amicum deputa similem simili *Τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φίλον Arist. Eth. Nic. IX, 33. Χωρεῖν ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον Porph. 19. Hierocl. ad c. aur. 1. p. 24 Needh. Pyth. syr. 19.*

444 (421) Tantummodo non diligis deum, non ibis ad deum.

445 (422) Consuesce te ipsum semper respicere ad deum.

446 (423) Intuendo deum uidebis eum.

447 (424) *Uidens deum facies mentem tuam talem, qualis est deus.

448 (425) *Excole, quod intra te est, nec ei ex libidine corporis contumeliam facias.

dei est *om.* **GU** || 442 deum **GU**: dominum deum **WOPVSrw**: dominum deum tuum **BJc** *sed* dominum *nullo modo ad hunc scriptorem pertinet* | nisi **Jcr** | in te *om.* **Jc** || 443 *In primo vocabulo desinit* **O** | animam *male* **V** || 444 *Sic cum* **WP** *scribendum videtur. Cum* tantummodo, *quod est* dummodo, *difficultatem crearet, in alia abierunt reliqui:* si tantummodo **V**: in quantum **GU**: quoad **w**: *vel cum praecedenti sententia iunxerunt:* ... simili tantummodo. Si non diligis **Br**: simili tantummodo (tamen modo **c**). Non diligis deum, si non ibis **Jc** | In quantum non diligis deum (deum *om.* **G**), in tantum non ibis ad ipsum (eum **U**) **GU** || 445 C. t. ipsum. semper respice **W** | ad deum *om.* **G** || 446 eum **WVBS**: deum **PJGcr** || 447 fac **GU** | tuam *om.* **w** | talem *om.* **PVS** || 448 *om.*

442. II 24, 29: Deum diligere non potes, nisi in te aliquid simile dei est.

443. II 24, 30: Quodcunque enim ei simile est, ex eo est eumque imitatur et diligit. *Sententiam Syriace accurate redditam invenies in Euseb. Theoph. III, 39 (p. 2, 16 Lee). Ceterum nihil obstat, quominus etiam apud Latinos olim simile fuisse censeatur.*

444. II 25, 1: Si deum non amas, ad deum ire non potes.

445. II 25, 2: Propterea assuefac te ipsum semper ad deum respicere et ad eum conversus sit oculus mentis tuae (*leg. e cod. H* ܕܣܟܝܪ).

446. II 25, 4: Si enim mentem ad deum convertis, per ipsam mentem tuam videbis deum.

447. *Deest.*

448. II 25, 6: Cohibe quod in mente tua habitat nec ei contumeliam affer per cupiditatem corporis.

449 (426) Incontaminatum custodi corpus tuum, tanquam si indumentum id acceperis a deo, sicut et uestimentum corporis tui inmaculatum seruare studes. *Cf.* 346.

450 (427) *Sapientis mens speculum est dei.

451 *Non mundae autem animae nihil audeas dicere de deo. = 407.

GU | que intra te est **A** | te *om.* **WJw** | nec ei] nec te **A** | ex *om.* **PS** || 449 indumentum id **AWVBGUw**: mundum **PS**: indumentum **Jcr** | sicut et **AWPSGU**: sicut **VB**: et sicut **Jr**: et sic **c**: sic et **w** | corporis tui *om.* **BJc** | studes **AWPBSGU**: stude **VJcwr** || 451 Non mundae **A**: Immundae **WPVBJSGUcwr** | autem *om.* **S** | animae *om.* **G** | de deo dicere **JGUcr** | nihil dicas de deo **S**

449. II 25, 6: Custodi mi fili corpus tuum sine maculis, ne (*codd. omnes* ut, *sed negatio saltem deesse non potest, nisi plura mutanda sint*) cupiditate accendatur (*f. l.* ܕܠܐ ܢܗܢܩܝܗ ne damnum faciat) mens in te habitans, quia corpus tuum vestimentum animi a deo habetur; si igitur vestes tuas, quae sunt vestimentum corporis, studes ut sine squalore custodias, eodem modo decet te custodire vestimentum animi.

450. II 25, 10: Nam in sapientis cogitatione deus habitat.

451. II 25, 10: Et multa cura est iusto de honore eius, qui in eo habitat.

Syrorum interpretum appendices.

Partis secundae appendix prior.

1 (25, 12) Si exadversus peccata negas te peccasse, duplam poenam tibi contrahis.

Partis primae appendix prior.

1 (8, 5) Si litigas de re male a te perpetrata, duplicas delictum tuum.

Ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ ὧν ἀδίκως ἔπραξας δὶς ἀδικήσεις Max. 5 (ap. Ribitt.). Ant. 1, 13. Stob. IV p. 143 (omnes Κλειτάρχου).

2 (25, 13) Si princeps in populo es, operam da ut sis mitis et patiens, et si ab aliis regeris, audi et obedi ei, qui te regit.

2 (8, 6) Si princeps es, stude ut sis mansuetus et omnium difficultates feras, et si sub dominatione es, ut magnanimus sis et obediens.

Ἄρχων μὲν ἐπιτήδευε πρᾶος εἶναι, ἀρχόμενος δὲ μεγαλόφρων Boiss. I, 131. 118 (ubi Κλειτάρχου). Max. 9 Rib. Ant. 2, 1 (Clit.).

a (25, 15) Consule regi id, quod imperium eius in populo stabilit. *Βασιλεῖ συμβούλευε τὰ συμφέροντα τῇ ἀρχῇ Boiss. I 131.*

3 (25, 16) Ne consuetudine principis utaris, nisi consilium tuum audit.

3 (8, 8) Cum nemine qui principatum obtinet vivere velis, nisi bono consilio obtemperet,

α (8, 9) si autem consilium tuum admittit, tu ei eris princeps et moderator.

β (8, 10) Si virtutes philosophorum laudamus, quanto magis oportet eos in bonis re-

bus superare, non dum in externo eorum habitu eis similes fiamus, sed dum deum contemplati excelsum eorum imitemur animum. *Χριστιανοῦ ἀνδρὸς μὴ τὸ σχῆμα ἀποδέχου, ἀλλὰ τὸ τῆς ψυχῆς φρόνημα. Nil. 22.*

b (25, 17) Sapientes mundi per sapientiam suam bene se gerunt, apud deum autem mercede carent.

4 (25, 18) Vere autem sapiens rex est ignoratus.

4 (8, 14) Qui enim inter eos pauper et modestus et castus est, rex sui ipsius est,

(*τοὺς σοφοὺς εἶναι βασιλέας Stoici. Diog. L. VIII, 122. μόνος ὁ σπουδαῖος ἄρχει Didym. de Stoic. Stob. Ecl. II 206 Heeren. μόνον εἶναι τὸν σοφὸν βασιλέα ibid. II 222*).

c (25, 19) Vere sapiens mundum sibi putat domum transitoriam, studet autem mundo futuro qui semper manet.

d (25, 20) Omnis laboris, quem ipse subis, servus es (*ita leg. e codd.*); pietatis vero, qui probitati studet, et mundi, qui mundo studet (?)

e (25, 22) Ne in oculis tuis dives maior sit operario et mendico. *Cf.* 192.

f (25, 23) Magni autem a te aestimetur iustus, qui voluntati dei satisfacit.

g (25, 23) Quamlibet sapientiam, in qua timor dei desideratur, multae vituperationes sequuntur.

h (25, 25) Ab omni malo praetextu se continet iustus.

i (25, 25) Hominem bonum facere perquam bonum est, iactare vero, quod bene egerit, arrogantia est. *Cf.* 433.

et voluptate quae regum voluptatem superat utitur, quia simultate quae reges pungit non afficitur; nam totum mundum suum esse putat, quia omnino eo supersedere potest.

5 (25, 27) Quodcunque scis

5 (8, 17) Nil quod agi oportet

te facere debere, voluntarie sine molestia facias; si autem aliquid est quod, si facias, aliis molestiam movet, ne fac.

differ, ut tempore angustiarum agas.

6 (25, 29) Pro omnibus autem, per quae vives in mundo futuro, contende usque ad mortem.

6 (8, 18) Et per quae te vivere putas, eorum causa etiam mori ne recuses.

Ὧν ἕνεκα ζῆν ἐθέλεις καὶ ἀποθανεῖν μὴ κατόκνει Pyth. syr. 98. Porph. 34. Stob. cod. A. IV, 144 Mein. Anton. 1, 12 (Basilii!) Ὑπὲρ ὧν θέλεις ζῆν ὑπὲρ τούτων καὶ θνῆσκε Boiss. III, 473.

k (25, 30) Non enim mors malum est, at miseri sunt, qui nondum perfecta aetate moriuntur. *Οὐχ ὁ θάνατος κακόν, ἀλλὰ τὸ μὴ δύνασθαι γενναίως ἀποθανεῖν Boiss. I 131. Legit τελέως.*

l (26, 2) Bona et mala in unum commista a deo repudiantur, hominis instar, qui venenum letale miscet cum cibo puro; omne enim, quod malum est, repudiandum est.

7 (26, 4) Ira conficit cogitationes sapientis et quicunque invidet alteri, sibi ipsi nocet.

7 (8, 19) Ira turbat cogitationes, cum etiam corpus feriat, et qui invidiosus est, se ipsum affligit, cum maius etiam odium in se convertat.

m (26, 5) Digne tracta bonos homines tanquam familiares dei.

n (26, 6) et imprimis stude, ut des iis, qui tibi referre non possunt.

o (26, 7) Nemo enim miserior et minor est eo, qui nescit quid bonum sit et quid malum.

p (26, 8) Quicunque malum

agit, nisi ab eo recedat, per illud peribit.

8 (26, 9) Cuivis principi, qui rebus populi studet circa animi bona, prius hoc necessarium est ut suis ipsius rebus studeat,

hoc est, ut multorum cura ei esse possit et cura sit omnium, qui sub eo sunt, digne, nullius ratione habita, et bonus sit et sincerus et integer et benevolus sit.

q (26, 13) Primarium facinus insigne, quod homo facere potest, est hominibus dei bona facere, eis qui se deo dicarunt, (28, 9) et hoc est sacrificium deo magis gratum quam omnes hostiae et splendida sacrificia. *Est Sexti* 47 *cf. p. 8.*

r (28, 10) Bona est mens principis, qui bene facit popularibus;

s (28, 11) nam moderator sapiens prodest popularibus.

t (28, 12) Non potest unum membrum vivere sine reliquis. *Οὐ σώζεται μέρος ἄνευ τοῦ ὅλου. Boiss. I 131.*

u (28, 12) A multis cibis molestiae oriuntur corpori, rare comedendo efficitur sanitas. *Ἐν πολλοῖς βρώμασιν ἔσται πόνος Sir. 37, 30.*

v (28, 14) Homo electus pauco victu utitur et simplici diaeta deo digna.

w (28, 15) Verbum verum (*ὀρθὸς λόγος*) deo simile est,

8 (8, 21) Bonum initium laborandi de aliis est prius de tuo ipsius commodo laborare,

magnopere enim aliis prodesse potest, qui prius sibi ipsi mederi scit.

γ (8, 23) Nihil matrimonio magis convenit quam mens sana (*σωφροσύνη*), nam uxorem recte moderari is tantum potest, qui sanus est.

δ (8, 25) Delicta mulierum nuptarum e dementia maritorum originem habent. *Ἁμαρτήματα γυναικῶν ἀνδρῶν ἀπαιδευσία* Sexti. *Io. Dam. γ, 13.*

ε (8, 26) Vir uxoris caput sit nec tyrannus. *Cf. κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἀνήρ 1 Cor. 11, 3. Eph. 5, 23.*

ζ (8, 26) Difficile tibi est caput esse ei, quae te ditior est.

η (8, 27) Femina enim, quae ornatum amat, fidelis non est.

ϑ (8, 28) Tanquam lex habeatur ab uxore maritus.

ι (8, 28) Quidquid enim homo est, eius similis etiam ut fiat uxori suae persuadere potest.

κ (8, 29) Utcunque est uxor tua, ita etiam vita tua.

λ (8, 30) Et si dimittis

(*Sent.* 355 *verbum verum ut deum honora*) propterea omne, quod indicat, stat et valet.

x (28, 16) Qui autem multis placere vult, multis similis est, et qui deo placet, deo similis est. *Cf. Τοῖς ὄχλοις πειρώμενος ἀρέσκειν τῶν ὄχλων ὅμοιος ἔσο. Nil. 19.*

9 (28, 17) Praestantiores sunt boni doctores, quam patres naturales.

y (28, 18) Unum bonum opus quod facis praestat multis verbis, quae loqueris.

z (28, 19) Si doctorem vides verba facere, at penes quem opera doctrinae conspicua non sunt, ne audeas eum doctorem appellare.

uxorem tuam, indicas te ne uxorem quidem posse regere. *Est Sexti* 236 *cf. p.* 40.

μ (9, 1) Et ita educa filios, ut aliquando deum colant.

ν (9, 2) Melius tibi est orare, ut filii tibi non sint, quam ut tibi sint filii mali. *Cf. Sext.* 254.

ξ (9, 3) Recordare filios mortales tibi esse ut ferre possis eorum mortem. *Cf. Sext.* 257 *et Anaxagorae illud ap. Laert. Diog. I, 3, 13: ᾔδειν αὐτοὺς θνητοὺς γεννήσας.*

ο (9, 4) Magnanimitati magna opus est contentione; magnanimitate si supersedet, homo inferior fit; magnanimitas illa est, quae cum probitate consociata est; haec enim est magnanimitas, quae omnia, quae apparent, parvi ducit.

π (9, 7) Nimia magnanimitas magnopere cavenda est; qui autem nimia magnanimitate male utitur, ingratus est.

ϱ (9, 9) Natura enim causa malorum non est. (114 *Mali nullius auctor est deus.?*)

9 (9, 9) Meliores patribus sunt ei, qui bona docent,

σ (9, 10) doctor autem malus sufficit ad corrumpendos discipulorum animos. *Ἡ τοῦ διδασκάλου ἀπειρία ἀπόλλυσι τοὺς μαθητευομένους Io. Dam. ε, 18 (Nili). Ant. 2, 4.*

τ (9, 11) Oderis voluptates (*pro* ܦܣ̈ܡܐ *e codd.* ܒܣ̈ܡܐ *legen-*

dum est) corporis et libidines animi despicias.

aa (28, 20) Neminem, nisi tentaveris et exploraveris, unquam deum timere declara; non enim deum timet nisi quicunque se ipsum molestiis timoris dei dedit.

10 (28, 23) Nemo enim hominum potest doctor esse, nisi per se ipsum exhibet laborem et molestiam doctorum boni.

10 (9, 11) Non enim efficaciter in iustitia erudire (*παιδεύειν*) potes, nisi fortiter aggrederis labores.

Οὐκ ἔστιν εὐγενῶς φιλοσοφεῖν πόνων καταφρονήσαντα Boiss. I 130.

11 (28, 24) Primum autem te ipsum castiga (*παίδευε*) et tunc aliis eris castigator; si indignus es principatu, ne sis neve velis esse hominum princeps et doctor.

11 (9, 13) Primum te ipsum castiga et tunc alios; nisi enim a vituperatione liber es, ne affectes princeps esse (*Cf. Κρεῖττον τὰ οἰκεῖα ἐλέγχειν ἁμαρτήματα ἢ τὰ ἀλλότρια Ant. 2, 78*),

bb (28, 26) Primum te ipsum de stultis tuis factis iudica et tunc iudex esse potes stultitiarum aliorum. (*Cf. Ὅταν θέλῃς τοῦ πλησίον κατηγορεῖν τὰ σαυτοῦ πρῶτον ἐπισκέπτου κακά Boiss. III 472*).

cc (28, 28) Quia homo castigator et sapiens adiutor est post deum. (*Cf. Sent.* 176 319 *τὸν εὐεργετοῦντά σε εἰς ψυχήν* ?).

12 (28, 29) Quicunque se ipsum arguit, ab alio non arguitur.

12 (9, 14) et si te ipsum arguis, non argueris ab aliis.

dd (28, 29) Si autem alios erudire vis, corde et corpore sis modestus, quia boni tui mores et temperantia tua fundamentum sunt eis, qui a te discunt.

13 (29, 1) Ostende mores tuos bonos per habitum bonum et fructus doctrinae tuae monstra per opera tua,

13 (9, 15) Mores tui praestantes sint tibi auctoritas disciplinae in alios adhibendae et opera tua bona declaratio fidei tuae.

14 (29, 3) et vita (*leg.* ܡܕ̈ܒܪܢ *pro* ܡܕܒ̈ܪܢ), occupatione et labore omnes qui a te discunt supera, ut doctrina tua declaratio sit operum tuorum.

14 (9, 16) Potior sis eis, qui sub te sunt, per solam operum tuorum praestantiam,

15 (29, 4) Turpe est aliis imperare quod ipse non facias.

15 (9, 17) et persuasus esto, bona esse quae facis et quae ab aliis postulas ut faciant.

Sext. 180 *Quae tibi facere turpe est, haec et alii imperare facienda turpissimum.*

16 (29, 5) Quomodo enim alios continentiam docere potes, si te ipsum non contines.

16 (9, 19) Nisi subieceris te ipsum, ne velis subiicere alios.

Σεαυτὸν μὴ κρατῶν ἄλλων μὴ θέλε κρατεῖν. Georg. p. 78. Δεῖ τὸν ἑτέρων μέλλοντα ἄρξειν αὐτὸν ἑαυτοῦ πρότερον ἄρχειν Max. 9 (Democriti).

17 (29, 7) Bona moderatoris medicina haec est: cum primum se ipsum sanat et tunc eos, qui ab eo sanari volunt.

17 (9, 20) Optimum quod convenit dominatui hoc est, ut homo prius se ipsum subiiciat. Esto igitur tuus ipsius dominus et tunc eorum, qui a te gubernari volunt.

ee (29, 8) Princeps, qui medicinam prius in se ostendit, aliis medicinam adhibere potest.

18 (29, 9) Multo facilius homini est leones moderari, quam iuvenes audaces ineruditos.

18 (9, 21) Difficile est tibi moderari eos, qui e stirpe magna oriundi sunt, magis ac si quis leones moderetur.

Χαλεπώτερον εὐγενῶν νέων ἄρχειν ἢ λεόντων Boiss. I 130.

19 (29, 10) Si revera scis homines moderari, etiamsi pauper sis, moderari potes,

19 (9, 23) Si bene moderari scis, etiam cum nudus es, moderari potes.

20 (29, 12) quia verus moderator sapiens dei est.

ff (29, 12) Qui autem moderator est, itaque omnibus sapientior esse debet; nam ignorantiam moderatur scientia et scientiam moderatur providentia, quae donum est dei.

20 (9, 24) Semper enim aptus est sapiens, qui moderandi artem exhibeat.

v (9, 25) Propterea assidue studeas, ut in omnibus tuis meditationibus et verbis et operibus tua ipsius mens tibi non fiat condemnator.

Primae partis appendix altera.

10, 12: Ne putes sola auri et argenti donatione acquiri iustitiam, sed etiam verbo benigno, cogitatione bona et consilio fido, cum (pro ܘ lego ܟܕ) bona de aliis sicut de te ipso meditaris et cum ab aemulatione et ardore et a calumnia mala et a nutibus et ab incantationibus insidiosis et ab iactantia et superbia et ludibrio alienus es: per haec omnia et similia quilibet, cui sensus et cogitationes humanae insitae sunt, peccare potest et rursus iustificari.

10, 18: Vera autem humanitas est, quae te non impedit, quominus id boni facias, quod omnibus viribus in rebus aut parvi aut magni momenti facere potes.

10, 20: Doctrina divina hoc a nobis requirit, ut quid ore pronuntiemus, operibus coram discipulis nostris perficiamus.

Secundae partis appendix altera.

29, 15: Fons autem uniuscuiusque rei deus solus est.

29, 15: Unus enim est ille qui omnibus prior et praestantior est, unus est deus, qui super omnia est, nec est deus alius praeter illum nec ei aequalis; is enim omnium rerum principium est; quod ei comparari possit non invenitur, multo minus deus unicus [*hoc vocabulum necessario e cod. H addendum est*], qui is solus est.

29, 19: Donum enim dei libera voluntas est, quae omnia quae vult facit (*Cf. sent.* 36);

29, 19: est autem deus intellectus occultus.

29, 20: Deus enim vivus est, temporibus et operibus et rebus creatis prior, et fons est omnium bonorum.

29, 21: Deus enim mens est, quae libere omnia moderatur, et is primus sapiens est, qui omnibus rebus prior est.

29, 23: Cui autem victimae, sacrificia et sanguis opus sunt, eum deum vocare non audeas; nam in voluntate dei vita est (*cf. ἐν τῷ βουλήματι αὐτοῦ ζωή ψ 30, 6*) et per eum omnia subsistunt, eius robore omnia corroborantur.

29, 25: Et quemcunque deus corroborat, eum non invadit affectus.

29, 26: Non intellegentia hominis multos deos fecit, homo enim errans, qui deum non novit, lapides et ligna colit.

29, 27: Homo enim, qui errori servit, errat et peccat ... [*deest aliquid*] peccata sua priora, qui autem veram fidem suscipit, non errat nec decipitur nec peccat.

29, 29: Propterea cave a vana gloria eorum, qui a veritate aberrant, nam multi sunt, qui a malis laudantur et pereunt.

30, 1: Te ipsum iudica neve pecca nec unquam ab homine iudicaberis.

30, 2: Sit tibi autem semper certamen de vita tua in hoc mundo, ut in temperantia et iustitia dies tuos transigas.

30, 4: Non enim simul libidini et deo servire potes [*οὐκ ἔστιν ἅμα δουλεύειν ἡδονῇ καὶ θεῷ Boiss. I 134*], nec potes una cum eo alii rei servire, sed ei soli.

30, 5: Et cum ei vere servis, reddet te principem rerum a se creatarum.

30, 6: Et qualis est is, qui super te regnat, talis etiam tu sis.

30, 7: Nosce igitur deum ut te ipsum noscas. (*Cf. sent.* 398.)

Pars tertia.

31, 1: Magnus dei honor est hominis occulta de deo scientia. *Cf. sent.* 44.

31, 2: Omnis qui dei similis esse vult, fugiat quaecunque deo opposita sunt, et sicut te pudet dei, ita te pudeat tui ipsius. *Cf. sent.* 51?

31, 4: Et assiduus semper esto in cultu dei. *Cf. sent.* 56?

31, 5: quia in cogitationem iusti deus imperium habet. *Cf. sent.* 57?

31, 6: Et sicut tu deum honoras, honora eos qui apud deum honorati sunt. *Cf. sent.* 65?

31, 7: Nam non exaudit preces eius qui hominem sui generis a se petentem non exaudit. *Est sent.* 217.

31, 8: Et post fidem in deum fidem etiam in te ipsum habeas. *Cf. sent.* 129.

31, 9: Fidelis enim vir solum deum colit, eum qui solus omnium dominus est.

Index locorum.[1]

Dei natura. 25 Nunquam putes dei substantiam insensibile esse. 26 Deus sicut mens est, quae sponte movetur, secundum hoc et subsistit. 30 Deus sapiens lux est incapax contrarii.

28 Nomen dei non quaeras quia nec invenies *cet.*

---

1) Obliquis litteris insertae sunt praecipuae quas Syri praebent sententiae, quibus si Graece inveniri potuerunt litterae *Gr.* additae sunt.

Dei providentia. 380 Deum qui putat esse et nihil ab eo curari nihil differt ab eo qui non crediderit esse deum. 312 Malus vir non vult esse providentiam.

373 Dei proprium est salvare quos dignos iudicat.

Deum nihil latet. 57 Cogitatio hominis deum non latet et ideo cogitatio tua pura sit ab omni malo. 66 Nequaquam latebis deum agens iniuste sed nec cogitans quidem. 94 Si quid non vis scire deum hoc ne agas nec cogites. 186 Possibile est verbo fallere hominem non tamen deum.

Deus non auctor mali. 114 Mali nullius auctor est deus. 440 Nihil proprium dei ducas quod malum est. 314 Omne quod malum est deo inimicum est.

104 Deus in bonis actibus hominibus dux est. 113 In omni quod bene agis auctorem esse deputa deum. 304 Deus bonos actus hominum confirmat.

Deus et mundus. 20 Quae saeculi sunt, saeculo, et quae dei sunt, deo.

Deus honorandus. 44 Honor summus deo scire eum et imitari. 381 Optime honorat deum ille, qui mentem suam, in quantum fieri potest, similem facit deo. 427 Sapiens vir etiam cum tacet honorat deum.

48 Deo gratiam praestat homo qui in quantum possibile est vivit secundum deum.

Deus cognoscendus et agnoscendus. 27 Magnitudinem dei non invenies etiamsi pennis volare possis (cf. 403 sicut nec dei quidem). 394 Quid sit deus agnosce et quid in te quod agnoscit deum. 29 Nihil ergo in deo quod non licet quaeras. 148 Sufficit ad beatitudinem agnitio dei solius et imitatio. 1[a] *Deus ex operibus cognoscitur.*

Deus imitandus. 45 Simile quidem deo per omnia nihil est, grata tamen ei est inferioris prout possibile est imitatio. 49. 50 Deus quidem nullius eget, fidelis autem dei solius; aemulatur ergo illum qui nullius eget is qui paucis in rebus necessariis indiget. 201 Finem vitae aestima vivere secundum deum.

Deus non spernendus. 85 Male quidem facere deo nemo potest; impius autem est qui blasphemat, hoc enim solum quod potuit fecit. 175 Mortui sunt apud deum, per quos nomen dei maledicitur. 396 Sine deo sunt hi pro quibus verbum dei maledicitur.

Deus colendus. 369 Deum non cognovit qui non colit. 370 Non est verum quod deum colat qui hominem laedit. 371 Fundamentum et initium est cultus dei amare homines. **non sacrificiis** 46 Templum sanctum est deo mens pii et altare optimum est ei cor mundum et sine peccato. 47 Hostia deo sola et acceptabilis benefacere hominibus pro deo. **neque lustrationibus vel munditie religiosa** 24 Anima purificatur in verbo dei per sapientiam. 23 Optimam purificationem putato nocere nemini. 102 Immundum hominem facit actus turpis. 111 Quidquid cupi-

ditate victus acceperis polluit te. 108 incontinentia ciborum immundum facit hominem. 110 Non cibi qui per os inferuntur polluunt hominem, sed ea quae ex malis actibus proferuntur. 429 Homo incontinens [καὶ εὐχόμενος καὶ θύων] polluit deum.

De deo loquendum est recte. 357 Sermo verus de deo sermo dei est. 367 Qui dicit de deo ea quae non sunt, contra deum falsum loquitur. 154 Verba [*intellege* de deo] sine sensu opprobria. 353 De deo nihil dicas quod non didiceris a deo. 84 Insuesce linguam tuam bene proloqui et maxime cum de deo sermo fit. 356[b] *Quod eloqui os impotens est, intellectus purus cognoscere et auribus committere potest.* **caute** 22 Cum loqueris de deo scito quia iudiceris a deo. 195 Verbum de deo loquens depositum te putato accepisse a deo animas auditorum. 352 De deo etiam quae vera sunt dicere periculum est et non parvum. 361 Verbum de deo parcius proferto magis quam de anima. 366 Verbum de deo reticere praestat magis quam temere proferre. 362 Melius est animam perdere quam verbum vanum de deo proferre. 152 Melius est lapidem frustra iactare quam vanum verbum de deo proferre. 355[a] *Quando de deo loqueris, loquere tanquam de divinitate ineffabili.* 356[c] *Concredita tibi sunt arcana maiestatis, quorum fias dispensator fidelis.* **breviter** 430 Hominem scientia dei paucis verbis uti facit. 431 Multis verbis uti de deo ignorantia dei facit. 432 Homo qui deum scit non multa ambitione utitur. 427 Sapiens vir etiam cum tacet honorat deum.

Quis dignus qui de deo loquatur. 410 Opinari quidem de deo facile ab omnibus est, dicere autem veritatem de deo soli iusto permittendum est. 356 Si immunis non es a flagitiosis operibus de deo nihil disceptes. 358 Si scis quia acceptum habent de te quod diligas deum hi qui te audiunt, tunc eis loquere de deo. 173 Inreprehensibilis autem in verbis utitur de deo. 368 Homo qui nihil habet quod dicat de deo vere desertus est a deo. 351 Non est tutum audire de deo homines vanae gloriae iactantia corruptos. 359 Opera caritatis dei praecedant abs te et tunc sermonem facito de deo.

Cui de deo loquendum non sit. 360 In multitudine dicere de deo non audeas. 350 Verbum de deo non omni homini committas. 354 Ei qui non credit esse deum de deo nihil loquaris. 401 Ne te praetereat (?) et malo ingenio verba dei committas. 407 Immundae animae ne audeas loqui experimentum de deo. 451 Non mundae autem animae nihil audeas dicere de deo. 365 Verbum de deo qui loquitur his quibus non licet proditor dei putandus est.

Deus invocandus quomodo. 122 Haec posce de deo, quae dignum est praestare deum. 124 Ea pete a deo quae accipere ab homine non potes. 88 Opta tibi evenire non quod vis sed quod expedit 91 Nulli suadenti acquiescas petere (?) quod non est bonum. 125 In quibus praecedere debet labor, haec tibi opta evenire post laborem. 126 Oratio vel vota pigri sermo vanus. **de quo** 374 Cultoris autem dei est orare deum pro salute hominum. 213 Opta

ut bene possis facere inimicis. 128 Non petas a deo id quod cum habueris non perpetuo obtinebis. **quo animo** 81 Cum optima quaeque abieceris praedam, tunc velut purificatus pete quod vis a deo. 225 Nefas est deum patrem invocare et inhonestum aliquid agere.

Preces exauditae. 375 Cum oranti tibi praestitum fuerit quod poposcisti a deo, tunc tibi potestatem permissam a deo intellege. 72 Voluptuosum deus non exaudit. 217 Orationem non exaudit deus hominis, qui egenúm non exaudit.

Dei memorem esse. 54 Omne tempus, in quo non de deo cogitas, hoc te computa perdidisse. 289 Ore prius deum habeto in mente quam respiras. 95 Priusquam agas quodcunque agis cogita deum ut lux eius praecedat actus tuos. 288 Exordium a deo sume in agendo quae agis. 224 In actibus tuis ante oculos pone deum. 303 Omnia quae agis deum invoca testem. 390 Omnem magis causam refer ad deum. 445 Consuesce te ipsum semper respicere ad deum. 97 Anima illuminatur recordatione dei.

Unitas et consensus cum deo. 416—18 Sapientis anima aptatur ad deum, sapientis anima semper intuetur deum, sapientis anima semper est cum deo. 144 Sapientis mens semper apud deum est. 145 Sapientis mentem deus inhabitat. 61 Bona mens chorus est dei. 55 Corpus quidem tuum incedat in terra, anima autem semper sit apud deum. 446 Intuendo deum videbis eum. 421 Sapiens sequitur deum et deus animam sapientis. 423 Inseparabilis est ab his quos regit ille qui regit, ita ergo et deus ab anima sapientis, quem tuetur et regit.

Amor dei. 287 Sapientum animae insatiabiles in amore dei. 419 Cor diligentis deum in manu dei stabilitum est. 444 Tantummodo non diligis deum non ibis ad deum. 86 culmen pietatis amicitia ad deum. 106 Dilige omnem qui eiusdem tecum naturae est, deum vero etiam plus quam animam tuam dilige. 442 Non amabis deum, si non habueris in te aliquid simile dei. 443 Amicum deputa simile(m) simili. 251 Doctrinam, ex qua proficere potes in amore dei, illam specialiter et necessario expete.

Ire ad deum. 167 Sapientia animam perducit ad deum. 402 Animam de terra fides elevat ad deum. 420 Animae ascensus ad deum per verbum dei est. 444 Tantummodo non diligis deum non ibis ad deum. 40 Beatus vir cuius animam nemo reprehendit ad deum pergentem. 434 Fidelis homo semper in metu est usquequo eat ad deum.

Deum fugere. 313 Anima mala deum fugit.

Vivere secundum deum. 215 Sine deo non potes deo vivere. 216 Omnia suffer pro eo ut secundum deum vivas. 399 Non est secundum deum vivere nisi pudice et bene et iuste quis agat.

Magnum esse apud deum. 51 Satis age magnus quidem esse apud deum, apud homines vero invidiam effugere. 52 Si benignus es apud indigentes magnus eris apud deum.

Hominis dignitas. 31 Quaecunque autem fecit deus pro

Vera hominis natura. 315 Quod sapit in te, hoc ducito esse hominem. 316 Ubi est quod sapit in te, ibi est et bonum tuum. 318 Quod animae non nocet nec homini.

Anima et corpus. 21 Certus esto quia animam tuam depositum fidele acceperis a deo. 301 Quantum laboras pro corpore, si tantum pro anima labores, sapiens eris. 411 Non cruciet anima tua corpus tuum neque animam tuam cruciet libido corporis. 111[a] *Nunquam consentiat animus tuus libidinem corporis tui satiare.* 412 Insuesce te ipsum corpori quidem praebere quae sua sunt caste et animae quae sua sunt pie. 413 Pasce animam tuam verbo dei, corpus vero simplicibus cibis. 139 Naturaliter parum quid corpus molestum est animae, luxuria vero facit corpus intolerabile. 425 Anima sapientis probatur a deo per corpus. 448 Excole quod intra te est nec ei ex libidine corporis contumeliam facias.

Animae mors. 208 Animae autem mors iniustitia et impietas. 397 Animam mors non perdit sed mala vita. 203 Mali finis iniuria, iniuriae autem perditio. *App. p. Qui malum agit, per illud peribit.*

Bonum. 79 Hoc solum tibi proprium dicito quod bonum est. 131 Hoc solum bonum putato quod deo dignum est. 296 Nihil bonum, quod non potest esse commune. 56 Intellige quae sint bona ut bene agas. 344 Disce quod oportet fieri ut beatus fias. 214[a] *Bonus (m) mali inimicus (m). Gr. App. o. Miser, qui nescit quid bonum et malum sit. App. l. Bona cum malis permista repudiat deus.*

Malum. 208 Malitia aegritudo est animae.

Mali. 400 Hominum infidelium vita opprobrium est. 107 Pessimum est peccatoribus in unum convenire cum peccant.

Peccatum. 297 Non ducas aliud alio peccatum levius. 11 Omne peccatum impietatem puta. 12 Non manus aut oculus peccat aut aliquod huiusmodi membrum, sed male uti manu vel oculo. 8 Vere fidelis est qui non peccat. 181 Etiam in cogitationibus mundus esto a peccatis. 233 Scito te adulterum esse etiam si cogitasti de adulterio; sed et de omni peccato eadem tibi sit ratio. 247 Fidelis volens esse praecipue quidem nitere ne pecces, quod etsi forte acciderit saltim ne iteretur id ipsum. 283 Optimum quidem est non peccare, peccantem vero agnoscere quam ignorare melius est. *App. 1 Negare duplum delictum.*

Liberum arbitrium. 36 Libertatem arbitrii sui permisit hominibus deus sine dubio ut pure et sine peccato viventes similes fiant deo. 255 Vivere quidem non est in nobis, recte autem vivere in nobis est.

Sapiens non sine deo fit. 218 Sapiens sapienti donum a deo. 436 Sapientem fatum non facit, gratia enim dei fato non subiacet, alioquin et deus. 395 Dei opus bonum homo bonus. 215 Sine deo non potes deo vivere.

Sapiens quis et qualis. 250 Qui cognoscit quae deo digna sunt ille sapiens. 199 Nunquam eris sapiens si te putaveris sa-

pientem antequam sis. 333 Intellectum non prius habebis quam intellexeris te non habere. 391 Nemo sapiens vir est qui deorsum respicit in terram et mensas. 147 Sapiens semper sibi similis est. 147 *et stultus convertitur in omnes animalium formas.* 143 Sapiens paucis verbis innotescit. 156 Brevis erit in sermonibus sapiens. 258 Non iudices esse philosophum cui non de omnibus credis. 168 Nihil autem tam vernaculum sapientiae quam veritas. 169 Nunquam potest bona effici anima mendacium diligens. 243 Multitudinem fidelium non invenies; rarum enim est omne quod bonum est. 278 Philosophus et honestus esto et non obtrectator. *App. c. Sapiens mundum putat domum transitoriam.*

Dignitas sapientis. 308 Deus inter opera sua omnia plus super sapientem gloriatur. 422 Gaudet rex super hos quos regit, gaudet ergo et deus super sapientem. 309 Nihil tale verum post deum sicut sapiens post verum (?). 403 Animae sapientis magnitudinem non invenies sicut nec dei quidem. 310 Particeps regni dei est vir sapiens. *App. 4 Sapiens rex. Gr.* 311 Quaecunque deus possidet (?) haec et sapiens. 450 Sapientis mens speculum est dei. 190 Cole sapientem virum sicut imaginem dei viventis. 307 Sapiens vir deum hominibus commendat. 441 Fidelis anima casta et sapiens propheta veritatis dei est. *App. g. Sapientia sine pietate vituperanda est. App. b. Sapientes mundi (huius) apud deum mercede carent.*

Sapiens a vulgo contemnitur. 214 Malis hominibus ineptus videtur vir sapiens. 53 Sapiens vir cuius viventis quidem parva est apud homines opinio, defuncti vero gloria praedicatur. 293 Domesticorum indignationes ferre sapientis est.

Sapiens honorandus. 191 Sapiens vir etiamsi nudus sit sapiens habeatur apud te. *App. f. Iustus, qui voluntati dei satisfacit, magni aestimandus est.* 190 Cole sapientem virum sicut imaginem dei viventis. 292 Animam bonam dilige post deum. *App. m. Bonum hominem tanquam dei familiarem honora.* 355 Verbum verum ut deum honora. 244 Sapientem honora post deum. 319 Philosophum hominem tanquam dei ministrum honora post deum. 229 Deo ingratus est, qui non magni ducit philosophum. 194 Derogare virum sapientem et deum aequale ducito peccatum. 246 Qui sapienti non obtemperat nec deo obtemperat. 87 Pium hominem habeto tanquam te ipsum. 219 Honorans sapientem honorabis te ipsum. 226 Qui non diligit sapientem nec se ipsum. 259 Criminationes adversus philosophum noli recipere. 439 Agnosce qui sunt filii dei in creaturis eius et honora unumquemque pro merito post deum. *App. β. Philosophi non solum externum habitum imitare.*

Sapiens liber. 392 Philosophi libertas non sit in nomine, sed in anima. 275 Non est sapiens factum in quo libertas aufertur. 275[a] *Nihil est, quod hominis libertatem vincat.* 306 Non poterit sapiens compelli facere quod non vult sicut nec deus. 363 Viri amantis deum corporis potestatem habet leo et tyrannus similiter.

364 Cum tibi minatur tyrannus, cuius sis tunc maxime memor esto. 17 Omnia auferenti abs te cede praeter libertatem.

Bona. 295 Si quid proprium alii tradideris, at ipse non habebis, non iudices bonum. 15 Quidquid saeculi habes, etiamsi auferat tibi quis non indigneris. 92 Quae tibi deus dat, auferre nullus potest. 405 Quaecunque dat deus, nullus auferre potest. 118 Ea posside, quae nullus possit auferre a te. 130 Nihil pretiosum ducas, quod potest a te auferre homo malus. 135 Filius dei est, qui haec sola pretiosa ducit, quae et deus. 404 Quaecunque dat mundus nemo firmiter tenet. 77 Acquire possessionem firmam animae, virtutem. 264 Derelinquens quae possides sequere verbum dei, liber enim eris ab omnibus cum deo servis. 82 Qualis vis esse apud deum iam nunc esto talis, cum distribuis ea quae mundi sunt; et ea despice tanquam qui te scias esse post deum.

121 Ea quae si contemnas recte laudaris ne retineas; in quibus probabiliter magnificus eris haec obtine.

Mors sapienti non malum. 320 Tabernaculum corporis graviter quidem ferre superbum est, deponere autem posse cum oportuerit in pace beatum est. *App. k. Malum non mors, sed mori nondum perfectum. Gr.* 321 Mortis quidem ipse tibi causa non fias, si quis autem te exuere vult corpore ne indigneris. 322 Sapientem de corpore iniuste si quis extrudat, in iniquitate sua beneficium ei praestat, absolvitur enim tanquam de vinculis. *App. 6 Quorum causa vivere vis, etiam morere. Gr.* 323 Hominem metus mortis contristat pro imperitia animae. 337 Quem deus non emittit e corpore non graviter ferat.

Paucis indigere. 19 Rebus saeculi in causis tantum necessariis utere. 50 Aemulatur ergo illum qui nullius eget is qui paucis in rebus necessariis indiget. 115 Non amplius possideas quam usus corporis poscit. 140 Omne quod plus est homini quam necesse sit, inimicum est ei. 98 Contentus esse mediocribus stude. 334 Sufficientiam servare stude.

Divitiae, avaritia. 18 Sapiens vir et contemptor pecuniae similis deo est. 294 Sapientium divitiae continentia. 191[a] *Sapientis sapientia divitiae eius.* 116 Aurum animam non eripit de malis. 300 Thesaurum defodere quidem inhumanum est, inventum autem auferre non est philosophi. 192 Neminem propterea honores quia multas habet pecunias. *App. e. Ne in oculis tuis dives maior sit operario et mendico.* 193 Difficile est divitem salvari. 137 Cupiditas possidendi origo est avaritiae. 137[a] *Ex avaritia nascitur insolentia. Gr.* 76 Amor pecuniae amorem carnalium indicat. 272[b] *Ea est curatio immundae cupiditatis, si ab ea prohibes corporis voluptates.*

Bonorum communio. 227 Nulla propria possessio putetur philosophi. 228 Quorum communis est deus idemque pater, horum nisi et possessio communis est, impii sunt.

Cupiditas, desiderium. 99 Noli omnia concupiscere. 136

Donec in desideriis est caro, anima ignorat deum. 146 Inexplebilis est omnis cupiditas, propterea et semper indiget.

Passio. 204 Non ascendit passio in cor hominis fidelis. 205 Omnis passio animi rationi eius inimica est. 207 Passiones aegritudinum initia. 209 Non te putato fidelem cum passionibus animae carueris. 75 Perniciosum est servire vitiis; quanta vitia habet anima tot et dominos. 206 Quidquid feceris, dum in passione est anima, poenitebis. *App. 7 Ira iratum affligit.*

Caro et libido. 271 Ex carne nihil oritur bonum. 291 Carnem noli amare. 317 Bonum in carne non quaeras. 78 Renuntia rebus corporis dum adhuc potes et quantum potes. 101 Noli diligere ea quae corporis sunt. 117 In deliciis positus corporis certum est quia ignoras illa quae praeparata sunt a deo.

70 Libidinem vince. *App. r. Oderis voluptates corporis et libidines animi despicias.* 71 Contine corpus in omnibus, quia ex deliciis et voluptatibus non effugies spurcitiam. 232 Nihil propter solam libidinem facias. 72 Voluptuosum deus non exaudit. 172 Vir libidinosus ad omnia inutilis. 437 Graviter accipit libidines corporis vir fidelis. 272 Turpissimae libidinis ea quidem, quae suavia sunt, cito transeunt, probra vero perpetua manent. 73 Deliciarum finis corruptio. 276 Libidinem necessariam tanquam necessariam ducito.

Continentia. 86 Fundamentum pietatis continentia. 438 Fidelis vir continentia pascitur. 270[b] *Magnam sapientiam puta hominem corpus suum subiicere. Gr.* 294 Sapientium divitiae continentia. 13 Omne membrum corporis quod suadet te contra pudicitiam agere abiiciendum; melius est enim sine uno membro vivere quam cum eo puniri. 273 Solent homines abscidere aliqua membrorum suorum pro sanitate reliquorum; quanto id praestantius pro pudicitia fiet. 429 Homo incontinens polluit deum.

Ad divinam voluntatem agere. 134 Haec debes velle quae vult et deus. 80 Qualis vis esse cum oras deum, semper talis esto. 94 Si quid non vis scire deum hoc ne agas nec cogites. 26[a] *Deo divina conveniunt, quibus gaudet et contentus fit.*

Fides. 1 Fidelis homo electus homo est. 212 Nihil mali vult qui fidelis est. 220 Fidelem te esse nosce. 332 In fide omnes homines conare vincere. 166 Fides omnes actus tuos praecedat. 196 Ne putes bene vivere qui non integre credit. 200 In tribulationibus magnis qui sit fidelis ostenditur. 234 Fidelem te professus spopondisti pariter non peccare deo. 331 Fratrem volentem a fide discedere persuade ne faciat et si insanabilis est magis conserva. 434 Fidelis homo semper in metu est usquequo eat ad deum. 5 Studens fidelis esse nihil quod deo indignum est agas. 6 Dubius in fide infidelis. 7 Infidelis homo mortuus in corpore viventi. 170 Pravo et pessimo ingenio fides aliena est. 400 Hominum infidelium vita opprobrium est.

253 Fiduciam cum verecundia habeto.

Pati. 119 Fer quod necesse est sicut necesse est. 385 Prae-

para et apta te ad tribulationes et laetus eris. 285 Magnam scito esse sapientiam per quam ferre potes ineruditorum imperitiam.

Quod bonum est, quia bonum sit, facere. 65 Honora quod iustum est propter hoc quia iustum est. 90 Quod culpas facere noli. 179 Ea quae pati non vis neque facias. 89 *Ut tibi vis facere alios ita eis tu quoque fac* (*Gr.*)*?.* 197 Quod bonum est hoc solum te dicere (?) puta. 202 Nihil putes malum quod non sìt et turpe. 388 Quod fieri necesse est, voluntarie facito. *App. 5 Quod necesse est fac, nisi aliis molestiam moveas* (*Aliter I*). 389 Quod non oportet fieri nullo modo facias. 180 Quae tibi facere turpe est, haec et alii imperare facienda turpissimum. **etiam cogitando** 57 Cogitatio hominis deum non latet et ideo cogitatio tua pura sit ab omni malo. 66 Nequaquam latebis deum agens iniuste sed nec cogitans quidem.

Integrum esse. 16 Te ipsum reprehensibilem mundo non praebeas. 37 Revereatur vitam tuàm mundus. 38 Nihil admittas quod tibi iniurat notam. 178 Quod fieri non debet, nec in suspitionem venias quasi facias.

Simulationem vitare. 64 Satis age non videri sed esse iustus; certum est enim vere non esse eum qui videri vult. 189 Fidelis esse magis quam videri stude.

Bono studere. 100 Occasiones bonorum perquire etiam cum labore.

Ratio lex agendi. 123 Ratio quae in te est vitae tuae ipsa sit lex. 74 Verbum vel ratio praecedat actus tuos.

Convenienter, prudenter, caute agere. 414 In illis insuesce gaudere animam tuam in quibus recte gaudet. 415 Anima quae in rebus nullis gaudet, indigna est apud deum. 141 Qui amat quod non expedit non amabit quod expedit. 142 Qui studium habet erga ea quae non sunt bona latebunt ei quae bona sunt. 262 Si vis cum laetitia animi vivere noli multa agere; in multis enim actibus *noceris.* 263 Quod non posuisti non tollas, sed sufficiant tibi quae tua sunt. 252 Sapiens vir parcit ne perdat tempus.

9 Etiam in minimis caute age. 10 Non est minimum in vita hominis neglegere minima. 434 Fidelis homo semper in metu est. 409 Aures tuas non omnibus committas. 90 *Nihil cuius te poenitebit facias. Gr.*

280 Nimius risus indicium est animae neglegentis; non ergo tibi ipsi indulgeas plus diffundi quam subridere. 281 Alacritate magis utere quam resolutione.

335 Membra corporis sarcina sunt his qui eis non utuntur.

Quid discendum sit. 249 Multa velle scire curiositas animi putanda est. 251 Doctrinam ex qua proficere potes in amore dei, illam specialiter et necessario expete. 406 Divina sapientia est scientia. 290 Ea quae oportet discere et ita facere, ne coneris facere antequam discas. 384 Fidelis qui libenter habet doceri operarius efficitur veritatis.

Deliberare, tum agere. 93 Delibera priusquam agas et antequam agas pervide quale sit quod acturus es. 95 Priusquam agas quodcunque agis, cogita deum ut lux eius praecedat actus tuos.

Agere, nec loqui. 198 Age magna non magna pollicens. *App. y. Unum bonum opus praestat multis verbis.* 383 Fidelium pauca sint verba, opera autem multa. 381[a] *Deus non eius est, qui verba solum loquitur, sed eius qui facit, quod lingua loquitur.* 408 Viri periculum in operibus primo et sic in verbis facito. *App. aa. Pium neminem habe, nisi molestiis pietatis comprobatum.*

Lingua. 426 Non lingua sapientis probabilis est apud deum sed mens.

De quo loquendum sit. 69 Semper de bonis loqui stude. 223 Verba tua pietate semper plena sint. 84 Insuesce linguam tuam bene proloqui et maxime cum de deo sermo fit.

Considerate loqui. 151 Lingua tua sensum tuum sequatur. 153 Delibera antequam dicas ne quae non expedit dicas. 160 Ante omnia tempus verbis tuis requirito. 163 Sermo extra tempus indicium malitiosae mentis.

Tacere. 161 Tunc loquere quando tacere non expedit. 164[a] *Scire quando loquendum et tacendum sit magna sapientia est. Gr.* 161[a] *Quando agere oportet, ne verbo utaris. Gr.* 162 De quibus ignoras tace, de quibus autem certus es loquere opportune. 164 In conventu ne satis agas primus dicere. 171 Fidelis homo audire quae oportet amat magis quam dicere quae non oportet. 156[a] *Silentium est fructus sapientiae.*

Multa loqui. 155 Verbositas non effugiet peccatum. 157 Indicium imperitiae longa narratio. 143 Sapiens paucis verbis innotescit. 156 Brevis erit in sermonibus sapiens. (430—432 paucis verbis de deo uti.)

Male loqui. 83 Lingua maleloquax indicium mentis est malae. 185 Levius est omne vulnus quam [linguae] vulnus. 154 Verba sine sensu opprobria.

Verum loqui. 158 Veritatem ama. 168 Nihil autem tam vernaculum sapientiae quam veritas *App. w. Verbum verum deo simile est.* 169 Nunquam potest bona effici anima mendacium diligens. 159 Mendacio tanquam veneno utere. 165[c] *Ut malum impedias et multis prosis, mendacium licitum est. Gr.* 165 Melius vinci vera dicentem, quam vincere mentientem. 165[a] *Qui vincit ita, ut alios fallat, revera vincitur. Gr.* 165[b] *Verba mendacia testes improbitatis sunt. Gr.* 187 Non putes malum si cum veritatem scias vincaris in verbo. 165[d] *Neminem fallas, maxime si consilium petit. Gr.* 165[e] *A consilio multorum oriundum cognoscitur verum. Gr.* 165[f] *Adulator verax esse non potest. Gr.* 393 Mentiri in vita decipere est et decipi. 325 Nulla simulatio multo tempore latebit et maxime in fide. *App. h. Ab omni malo praetextu se continet iustus.*

Castitas. 68 Omnem spurcitiam fuge. 67 Vir sapiens castus erit deo. 282 Castorum vita sit tibi ad honestatis exemplum.

71 ex deliciis et voluptatibus non effugies spurcitiam. 346 Vestimentum putato esse animae corpus tuum, mundum igitur id serva. 449 Incontaminatum custodi corpus tuum, tanquam si indumentum id acceperis a deo, sicut et vestimentum corporis tui immaculatum servare studes. 240 Prout continueris ventrem, ita et venerios motus. 435 Homo qui secundo satiatur cibo nec dormit nocte, concubitum non effugit, sed ne apud deum quidem dignus est.

Matrimonium. 230 Coniugium tibi refutare concessum est, idcirco ut vivas indesinenter adhaerens deo; nubere et filios procreare pessimum scias utrumque; sin autem tanquam proelium sciens esse pessimum tamen (?) pugnare non vis et uxorem nube et filios procrea. 235 Fideli mulieri ornatui ducatur pudicitia. 237 Mulier pudica gloria viri est. (*App. γ—λ de muliere plura, quae ibi quaeras*). 239 Fidelium coniugium certamen habeat continentiae. 232 Nihil propter solam libidinem facias. 231 Adulter etiam propriae uxoris omnis impudicus. 233 Scito te adulterum esse etiamsi cogitasti de adulterio. 238 Reverentiam habens uxori habes eam reverentem. 236 Vir qui uxorem dimittit profitetur se nec mulierem regere.

Filii. 254 Excrucient te liberi male viventes magis quam morientes. 256 Filii infideles nec filii. *App. ν. Melius filios non habere, quam malos.* 257 Fidelis vir non ingrate fert abiectionem liberorum. *App. ξ. Recordare filios mortales esse. Gr. App. μ. Filios educa, ut deum colant.*

Cibus. 110 Non cibi qui per os inferuntur polluunt hominem. 109 Animantium omnium usus quidem in cibis indifferens, abstinere vero rationabilius est. 108 Multi cibi impediunt castitatem et incontinentia ciborum immundum facit hominem. 272[a] *Multi cibi trahunt ad scortationem. Gr.* 270 Homo qui a ventre vincitur similis est beluae. 345 Melius est fame mori quam per incontinentiam ventris animam maculare. 265 Cessa a cibo *dum adhuc esuris.* 268 Omne poculum suave tibi sit. 288[a] *Ne multum cibum et potum appetas. Gr. App. u. A multis cibis molestiae oriuntur corpori. App. v. Electus pauco victu utitur et simplici diaeta.* 269 Temulentiam quasi insaniam fuge. 428 Ventrem et ea quae sub alvo sunt, qui non continet non est fidelis. *Cf.* 240. 435 *Castitas.*

Alteri non nocere. 302 Sapiens non est qui nocet. 370 Non est verum quod deum colat, qui hominem laedit. 96 Grandis impietas in deum hominem affligere. 211 Qui hominibus male utitur, se ipso male utitur. 324 Ferrum quo homines interimuntur optimum quidem fuerat non fieri, factum tamen apud te non sit factum. 386 Neminem laedens nullum timebis. 327 Qui cogitat adversum alium mala praeveniens ipse perfert mala.

Alteri bene facere et auxiliari. 260 Stude communiter omni homini bene facere. 371 Fundamentum et initium est cultus dei amare homines. 89 Qualem vis esse tibi proximum tuum talis et tu esto proximis tuis. 210 Omnibus hominibus ita utere quasi communis provisor omnium post deum. 340 Qui tuetur pupillos

erit multorum filiorum secundum deum pater. 372 Qui hominum curam gerit et orat deum pro eis, is vere a deo esse putandus est. 105 Neminem inimicum deputes. 213 Opta ut bene possis facere inimicis. 336 Ministrare aliis melius est quam ministrari ab aliis. 338 Sententiam, quae misericordiam vetat, non solum tenere sed audire refugite.

329 Nihil eorum quod petitur maioris pretii dignum ducas pro eo qui accipit. 328 Non te impediat a bene faciendo homo ingratus.

Pauperibus dare. 266 Omni homini imperti. 330 Optime utitur facultatibus is qui indigentibus libenter tribuit. 377 Melius est non habere, quam multa habentem nemini impertire. 267 Pro reficiendo paupere etiam ieiunare bonum est. *App. n. Imprimis eis qui tibi referre non possunt, da.* 52 Si benignus es apud indigentes magnus eris apud deum. 382 Deus nequaquam indiget, laetatur autem super hos. qui indigentibus tribuunt. 379 Qui ex animo dat cibum indigenti, parum quidem est quod dat, sed magna fiet ei bonae voluntatis retributio. 217 Orationem non exaudit deus hominis, qui egenum non exaudit. 378 Si non das egentibus cum possis non accipis a deo cum poposceris. 342 Si quid dederis ita ut hominibus innotescat, non homini sed propriae libidini praestitisti. 339 Qui dat aliquid et imputat, contumeliam magis quam beneficium dedit.

Principem et iudicem esse. 182 Cum praees hominibus memento quia et tibi praeest deus. 183 Et iudicans homines scito quia et ipse iudiceris a deo. 184 Maius est periculum iudicantis quam eius qui iudicatur. 261 Execrabile sit tibi etiam iuste aliquid punire. 63 Iniustum si inhibeas agere iniuste, hoc est secundum deum punire. *App. 2 Si princeps es. sis mansuetus, si ab aliis regeris. magnanimus. Gr. App. a. Consule regi. Gr. App. 3 Ne consuetudine principis utaris. nisi consilium tuum audiat. App. 8 Qui (princeps) de aliis laborat. primum de se laboret. App. r. s. Bonus et sapiens est princeps, qui prodest populo. t. (nam) non potest unum membrum vivere sine reliquis. Gr. App. 16 Nisi subieceris te ipsum ne subiicias alios. Gr. App. 17 Itaque primum te ipsum subiice. App. 19. 20 Etiam pauper vel nudus moderari potest sapiens. App. 18 Difficilius est iuvenes patricios moderari quam leones. Gr.*

Docere. 242 Quae gratis accipis a deo, praesta gratis. 177 Sermones tui vitam custodiant auditoribus. *Opera confirment verba tua auditoribus.* 174 Peccata discentium opprobria sunt doctorum. 17[a] *Coram quolibet qui dux tibi esse vult humilia te. Gr. App. 9 Meliores patribus sunt doctores. App. σ Malus doctor corrumpit discipulos. Gr. App. z. Doctor non appellandus est. qui operibus doctrinae caret. App. 10 Doctor (philosophus) non habendus. qui laborem fugit. Gr. App. 13 Mores tantum et opera doctoris ei auctoritatem conciliant. App. 14 Qui docet, discipulis virtute potior esse debet.*

Arguere. 279 Rara sit obtrectatio tua et opportuna. 103 Purgatur anima insipientis cum arguitur intrinsecus latens sensus eius. 245 Cum argueris ut sapiens fias habe gratiam arguentibus. 279 *Benigne admone, ne damnum efficias* (*Gr.?*). *App. 11 Primum te ipsum castiga tunc alios. App. bb. Primum te ipsum iudica, tunc alios accusare poteris. Gr. App. 12 Qui se ipsum arguit, ab aliis non arguitur. App. dd. Qui alios erudire vult, modestus sit.*

Laus, iactantia. 112 Multitudini placere ne satis agas. *App. x. Qui multis placere vult, multitudini similis est.* 241 Devita infidelium laudes. 299 Quorum laudes contemnis, nec derogationes magni pendas. 341 Quidquid egeris causa gloriae, haec erit merces facti tui. 298 Sicut in bonis actibus laudari vis, ita in delictis patienter accipe si culperis. 286 Turpe ducito proprio ore laudari. 138 Cum semetipsum quis amplius diligit, inde iniustitia nascitur. 188 Male sentire de fide amor iactantiae facit. 284 Iactans non est philosophus. 433 Qui electus dei est facit quidem omnia secundum deum, esse autem se ipse non iactat electum. *App. i. Bene agendum est; sed id iactare arrogantia est.* 284[a] *Sapiens humilis est; propterea super omnes exaltabitur* (*Gr.?*). 389[a] *In omni re confitere te exiguum esse, cum amoris dei plenus es.* 149 Malis qui adulatur peiores facit. 150 Intolerabilis fit malitia cum laudatur.

343 Iracundiam multitudinis ne provoces in te. 51 Apud homines invidiam fuge.

Beate vivere. 344 Disce quod oportet fieri, ut beatus fias. (56 Intellige quae sint bona ut bene agas). 148 Sufficit ad beatitudinem agnitio dei solius et imitatio. 326 Prout sunt mores tui, talis sit et vita tua, mores enim religiosi faciunt vitam beatam. 277 Bona quidem habere omnes optant, obtinent autem hi qui semetipsos exintro verbo dei manciparunt. 424 Dispensatur a deo vir sapiens et idcirco beatus est. 386 Neminem laedens nullum timebis. 387 Tyrannus beatitudinem non auferet.

Index verborum.

Loci

e libris sacris

ad Rufinum et Syros atque in prolegomenis laudati.

Corrigenda.

p. X *v.* 15 *scribe* κορακας. — *p.* 6 *inter varr. lect. ad* 29 *scribe* de deo **cr.** — *p.* 7 *sent.* 34 *adde stellulam.* — *p.* 7 *sent.* 35 *scribe* simile. — *p.* 11 *sent.* 67 *adde stellulam.* — *p.* 15 *in varr. lect. v.* 5 *ante* scire *adde* || 94. — *p.* 17 *in varr. lect. ad* 109 *scribe* anim. omnium. — *p.* 20 *s.* 124 *lege* a deo *pro* de deo. — *in v. l. ad* 128 *lege* **G** *pro* **c.** — *p.* 23 *v.* 6 *lege* σοφοῦ. — *p.* 31 *s.* 181 *lege* peccato *pro* peccatis. — *v. l.* 180 *pro* alii *lege* aliis. — *p.* 34. *v. l.* 200 *lege* quidem sit fid. **J** (*pro* **S**). — *p.* 36 *v.* l. 209 *lege* non — nisi cum **S.** — *p.* 52 *Syr.* 202 *adde:* Habuit igitur ut Demophilus 13 σύνοικον. — *p.* 67 *in v. l. ad* 394 *excidit versus, quem supplevi p.* XXV. — *Interdum* v *legitur pro* u.

Bonnae formis Caroli Georgi.

